

Handwritten text on the adjacent page, including numbers 1, 2, 3, and some illegible characters.



11.

38

COMMENTATIONIS

Ad locum Juris famosissimum, vexatissimum-
que in L. Possideri. 3. §. Ex contrario. 5. ff. de acquir. vel
amittend. possess.

1637 2.

PARS PRIOR,

DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE,

IN CELEBERRIMA REIPU-
BLICAE ARGENTORATENSIS VNIVER-
sitate publici, & Solennis exercitiij gratia
proposita,

à

GREGORIO BICCIO, BUDISSINO,

J. U. D. & Professore Publ.


Respondente

JOHANNE Lindener / Freibergensi
Misnico,

Die Mensis Octobr. horis à 7. pomeridianis,
in Auditorio Novo.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
Anno M. DC. XXXVII.



*Nobilitate generis, Amplitudine muneris,
singulari prudentiâ, eruditione, & consilio
præpollentibus*

V I R I S,

**DN. LEONHARDO Schwendendorffer/
Sereniss. Saxonix Electori, Principi ac Do-
mino meo clementissimo à Consiliis Ca-
meræ, & reddituum fidelissimo, honoratis-
simo:**

**Dn. ALEXANDRO FABRO, Jcto, &
in supremis Saxonix Electoratus dicasteriis
causarum Patrono longè florentissimo, ce-
leberrimoque:**

Dominis & Patronis meis

Omni studiorum genere demerendis,

*Disputationem hanc Iuridicam perpetuæ
observantiæ monumentum*

Officiosâ mente offero, consecro,

Johannes Lindener.



PROOEMIUM.

I.



Areria Possessionis quantis immersa sit difficultatibus satis sufficienterque ostendunt eruditissimorum hominum hanc de re testimonia, & querelæ. Glossa in *l. stipulatio ista*, 38. §. *hac quoque*. 7. ad verbum: *stipuletur*. ff. de verb. oblig. testatur, antiquioribus nonnullis tam difficilem visam esse materiam hanc, ut palam professi fuerint, quod etiam peritissimi possessionem definire non sint ausi. Udalr. Zasius in *præfat. ad tit. ff. de acquir. vel amitt. poss. in pr.* scribit: Totum istum titulum difficilem quidem, sed ita utilem esse, ut sine materiæ hujus possessoris cognitione, nemo sibi cognitionem Juris asserat. Franc. Duaren. in *altero comment. ad tit. de A. vel A. P. in præf.* statuit in eo contineri partem Juris Civilis non modò utilissimam; verùm etiam obscurissimam; difficultatemque eam non tam in verbis ipsis, quàm in rebus versari, in quibus mira deprehendatur subtilitas. Petr. Frid. Mind. in *comment. synopt. de mater. Possess. cap. 1. n. 1.* his utitur verbis: ut hæc Possessionum materia frequens, quotidiana, & undique in conspectum posita, inque omnes ferè Juris controversias incidens: ita perplexissima hæctenus, obscurissimæque, & multiplicibus Doctorum interpretationibus distractissima fuit. Quæ tantopere nonnunquam adolescentes, cum se, tum alios hæsitantes atque anxios distinuit, ut sanè nescierit sapè, an etiam perfectè, & dilucidè ejus doctrina proponi & explicari possit.

2. Ut igitur universa Possessionis materia, singulæque, quæ de eâ agunt, leges variis involutæ sunt obscuritatibus, difficultatibusque: ita *l. Possideri*. 3. ejusque in primis §. *Ex contrario*. 5. ff. de A. vel A. Poss. reliquis hanc in parte palmam præripere videtur, ita ut non immeritò de apicibus Juris esse dicatur, & inter cruces Jurisperitorum, congentiente Dd. calculo, numeretur. Franc. Duaren, (quem L. Charondas *lib. 1. περὶ τῶν*, cap. 6. fol. 38. a. clarissimum

A 2

mum

mum Jctum, Præceptorem, & Papinianum suum appellat,) quæ-
stionem hujus §. An plures eandem rem in solidum possidere pos-
sint? omnium difficilimam, quæ reperiuntur in hoc tractatu de
Possessione, in *sup. dict. comment. ad h. §. in pr. p. m. 640.* censet, quâ
in parte planè ὁμόκληρον habet Osvald. Hillig. in *Donell. enucl. vol.*
1. lib. 1 §. c. 32. in not. lit. x. Et Udalr. Zasius latentes in hoc §. syrtis
expertus, ejus explicationem notabili hoc epiphonemate clau-
dit: *Et ita sumus absoluti (Laus Deo,) de istâ periculosa materiâ: quam*
paulò ante, n. §. vocaverat subtilissimam, & plusquam difficilem.

3. In causas hujus difficultatis si paulò accuratius inquiramus,
primam suppeditat ipse Auctor hujus Legis, Julius Paulus,
quam reculit in *lib. § 4. ad edictum.* Hujus enim mos est, ut saltua-
tim agat; præcisè loquatur; plus sentiat, quàm scribat; & plerum-
que cogitandum aliquid relinquat, iudicio optimi illius ingenio-
rum æstimatoris Cujac. in *comment. ad Paul. lib. §. quest. in l. Natu-
ralis. §. §. sed si facio. 4. ff. de præscr. verb. & lib. 34. ad edict. in l. item si
pretio. 22. §. cum insula n. 2. ff. locati.* qui proinde hunc Pauli mo-
rem *morosissimum* appellat, in *Mercatore. lib. 1. cap. 10.* testimonio
quoque Zassii, qui in *comment. ad §. Neratius. 3. h. l. 3. statim in pr.* eum
vulgo σχολεινδν appellatum fuisse ait, & eundem n. seq. 6. *horribilem
σχολεινδν* vocat.

4. Alteram præbent vexatissimæ contentiones & disputatio-
nes, quæ de quæstione hujus §. jam olim inter Proculejanos, (sic
enim scribendum putat Cujac. in *comment. ad l. 2. ff. de orig. iur. &
omn. Magist. §. ult. not. ult.* non, ut communiter fieri solet, Proculia-
ni;) & Sabinianos fuerunt agitatae, attestante Cujac. *lib. 9. observ.
cap. 3 2. pr.* & quæ adhuc hodiè in scholis ventilantur, & in utram-
que partem ab affectis & defensoribus suis magno nisu propu-
gnantur; quorum plerique dum lucem textui inferre conati sunt,
ejusdem luminibus magis magisque offecerunt, gravissimamque
Zassii censuram, quam habet in *comment. ad h. l. in fin. princ.* prome-
riti sunt, scribentis: quod ipsum §. nostrum glossa, & Dd. per va-
rios, & diversos Mæandros ita obscurârunt, ut res sit paulò minus
inextricabilis, si pergamus sequi vel glossam, vel Doctores.

5. Atque hoc est, quod ad diligentiolem hujus §. διὰ νεϕιϋ,
præter exemplum supra laudati Duareni, qui professionis suæ
initium à prælectione hujus tituli se fecisse testatur *dict. præfat. p.*
615. nos permovet, haud dubitantes, si textus hic justam interpre-
tationem fortiatur, quod multarum rerum observatu dignarum
noti-

notitiam nobis suppeditare, aut saltem in memoriam revocare potis sit; quam quidem, Deo clementer, & benignè annuente, ita instituemus, ut, præmissâ §. genuinâ lectione, primò ipsius textus & verborum ἐξήγησιν, deinde quæstionum controversarum inde nascentium λύσιν, & tandem Axiomatum, seu Regularum Juris in eo latentium συλλογὴν breviter tradamus.

T E X T V S.

6. Verba paragraphi nostri hæc sunt, pro ut in Pandectis Florentinis, (seu, quod idem est, Melfitanis, à loco Apuliæ, in quo Anno Christi 1137. regnante in Occidente Imperatore Lothario Saxe, inventi sunt; vel Pisanis, ab inventoribus ita dictis,) ex editione Francisci Taurellij, quam Florentiæ Anno 1553. Laurentius Torrentius, Ducalis Typographus procuravit, leguntur: Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt. contra naturam COEpe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris. Sabinus tamen scribit, eum, qui precario dederit, & ipsum possidere, & eum qui precario acceperit. Idem Trebatius probabat, existimans posse alium justè, alium injustè possidere. * duos * injustè, vel duos justè non posse. * quem * La-beo reprehendit. quoniam in summa possessionis non multum interest, justè quis, an injustè possideat. quod est verius. non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo. tu sedere videaris.

7. Norica editio, quæ operâ Gregorii Haloandri Anno Christi 1529. in lucem prædiit, nihil ferè variat, nisi quod circa principium paragraphi antiquum vocabulum COEpe mutet in quippe, postea circa fin. indicativum interest, in subjunctivum intersit, & tribus in locis ordinem vocabulorum quadantenus transponat, hoc modo: Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt. (nota in seqq. primam variationem) quippe contra naturam est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id videaris tenere. Sabinus tamen scribit eum, qui precario dederit, & ipsum possidere, &

A 3 cum,



eum, qui precario acceperit. Idem Trebatius probabat, existimans posse alium juste, alium injuste possidere. (nota secundam variationem) duos juste, vel duos injuste non posse. quem Labeo reprehendit: quoniam in summa possessionis non multum interfit, juste quis, an injuste possideat, quod verius est. (nota tertiam variationem) non enim magis eadem possessio apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.

8. Basileense exemplar, quod industriâ Johannis Hervagij, Anno Chr. 1541. publici juris factum est, ut in ipso titulo profiteretur, se ex Haloandrinâ editione desumptum esse, ita & hoc in loco ejusdem vestigia καὶ τὸ δ' α, quod ajunt, sequitur, nihilque mutat, quam quod vocabulum *reprehendit*, quod Haloandro per diphthongum exprimere placuit, simplici e, ad formam librorum Florentinorum, scribat; & quod in adverbio *precario* bis posito virgulam omittat, quam e contrario adverbis *juste* vel *injuste*, in quibus Haloander eam omiserat, imponit. Utrum rectè, hujus loci non est ut inquiramus, cum labor ille ad Grammaticorum scholas pertineat.

9. Illud potius addendum ducimus, alium quendam Virum doctum, eumque non in Jurisprudentiâ tantum: sed etiam in omni politiori literaturâ egregiè versatum, nobisque amicitiam haud vulgari conjunctum, (cui propterea hunc deferimus honorem, ut cum ab eo hâc in parte dissentiamus, eum non nominemus,) statuere, in paragrapho nostro illa verba: *Quem Labeo reprehendit, &c.* usque ad verba: *quod est verius.* exclusivè, includi debere parenthesi, ut narret tantum verbis inclusis Iustus Paulus Labeonis sententiam, ejusque argumentum, non autem approbet: Eundemque putare, verba priora: *Ex contrario, &c.* usque ad verba: *Sabinus tamen,* exclusivè, propositionem, non assertionem continere. Verum quia emendatio hæc auctoritate manusccriptorum antiquorum destituitur, incertâ aliquâ divinatione innititur, & præterea textui manifestam vim infert, unicèque ad defendendam Sabinianorum opinionem directâ est, ideòque eadem facilitate, quâ à suis approbatoribus affertur, à nobis reii-citur.

Εξήγη

10. Summa hujus §. brevissimè his verbis includi potest: Unius ejusdemque rei possessio in solidum penes plures esse non potest. Plenius ita: Sicuti contra naturam est, ut quod ego teneam, tu quoque id tenere videaris, aut ut tu stare vel sedere videaris in eo loco, in quo ego sto, vel sedeo: ita plures quoque eandem rem in solidum possidere non possunt. Plenissimè hoc modo: Sabinus statuit, & eum, qui precariò dedit, & eum, qui accepit rem precariò concessam possidere; Trebatius non modò approbat hoc ipsum, sed præterea existimat, eandem rem posse unum justè, alterum injustè possidere, quamvis non concedat, duos justè vel injustè simul possidere posse; Labeo autem, & cum eo Proculjani, & ipse Paulus, veriore dicunt hanc sententiam, quod plures rem eandem possidere in solidum non possint, cum contra naturam sit, ut quod unus teneat, alter quoque id tenere videatur.

11. Dividitur commodissimè in quatuor partes: quarum in primâ ipsa Propositio & assertio Pauli, junctâ ἀπτολογία, continetur; in secundâ contraria sabini sententia refertur; in tertiâ Trebatii opinio, ejusdemque à Labeone facta refutatio subjicitur; in quartâ denique & ultimâ prior Pauli assertio notabili similitudine illustratur, & roboratur.

PRIMA PARS PARAGRAPHI.

12. Prima pars his verbis absolvitur: Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt, contra naturam quippe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris, & constat, ut cuivis facilè manifestum est, ex aliis duobus membris: quorum primum, præmissâ connectione, ipsam Pauli assertionem proponit; alterum verò ejusdem assertionis ἀπτολογία, & decidendi rationem subjicit.

13. Primum, primæ partis, membrum his verbis constat. Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt, & jungitur præcedenti §. 4. satis opportunè. Postquam enim Jctus Paulus in dict. §. docuisset, quod eandem rem possimus ex pluribus causis possidere, exemplo ejus, qui usucaperit, (id est, usucapere inchoaverit,) qui & pro emptore, & pro suo possidet; itémque heredis illius, qui pro emptore possidebat, qui & pro emptore, & pro herede possidet: postquam item ad-

didisset

didisset differentiam inter dominium & possessionem, quod illud quidem non nisi ex unâ causâ nobis contingere possit, (cum illud, quod jam nostrum per priorem causam factum est, magis nostrum per aliam fieri non possit. §. sic itaque. 14. Inst. de action. & §. sed si rem. 10. Inst. de legat.) hæc verò ex plurimis causis contingere soleat, nunc commodè subjicit pronuntiatum hoc adversativum, hoc ferè sensu: Non sicut unus eandem rem ex pluribus causis possidere potest, ita & plures eandem rem in solidum possidere possunt.

14. Assertionem ipsam quod attinet, si verba Paulina primo intuitu, & quasi obiter inspiciamus, nulla vel exigua difficultas subesse videtur: si verò ad varias Dd. interpretationes, explanationesque, quibus hæc verba occasionem præbuerunt, animum convertamus, apparet in hoc membro præcipuam totius paragraphi obscuritatem, quæ plerosque vehementer torfit, sitam esse, quam ut evitemus, præmissâ diligenti obscuriorum, & ambiguum vocabulorum enodatione, ac distinctione, paucis indicabimus, quamnam nos veram hujus pronuntiatii sententiam esse putemus.

15. Verbum Possidere, ut & Possessionis multas habet significationes, quas Lexicographi cumulare solent, ex quibus præcipuè breviter hîc recensendæ veniunt; memores enim sumus illius præcepti, quod Aristoteles habet lib. 2. Sophist. elench. c. 2. διαγερῶν ἐν ἀκρίβειᾳ, id est, non debere nos segnes esse in distinguendo. I. Possidere κατὰ χεῖρας idem significat, quod tenere absque veræ possessionis animo. l. 1. §. item acquirimus. 5. & §. per eum. 8. l. Naturaliter. 12. pr. l. quod servus. 24. ff. de A. vel A. Poss. l. justo errore. 44. §. ult. ff. de Usurp. & Vsuc. l. officium. 9. ff. de R. Vind. l. sive a. 9. §. ult. ff. de Public. in rem act. l. communi. 7. §. item si duo. 8. & §. neque colonis. 11. ff. comm. divid. l. videamus. 38. §. si possessionem. 10. ff. de usur. & fruct. l. pro emptore. 2. §. Celsus scribit. 11. & seq. ff. pro empt. l. 1. §. qui superficiem. 1. & seq. ff. de superfic. l. stipulatio. 38. §. hæc quoque. 7. ff. de Verb. Oblig.

16. II. Nonnunquam Possidere idem significat quod acquirere possessionem, vel eandem retinere. Acquisitionem possessionis manifestè denotat, in l. 1. §. si vir. 4. §. per eum. 8. & seqq. l. Quod uxor. 16. ff. de A. vel A. Poss. & imprimis in l. sequitur. 4. §. furiosus. 3. ff. de Usurp. & Vsucap. Retentionem verò possessionis signat. in l. si id quod. 25. §. 1. & 2. ff. de A. vel A. P.

17. III. Interdum Possidere per metonymiam causæ pro effectu significat idem quod usucapere, cum aliqua possessio, civilis nimirum, proficere soleat ad producendam usucapionem, ut monuit Cujac. lib. 24. obs. 9. in med. Exempla occurrunt in l. deniq. 19. l. ait Prator. 23. §. is autem. 1. ff. ex quib. caus. major. (de quibus Bachov. in not. & animad. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. §. 1. lit. B. scribit, eos nodum in scirpo quarere, qui jam citatis locis ita usurpari verbum possessionis negant; ubi tamen minus congruè ab hac vocula Possessionis acceptione excludit l. si miles. 30. ff. eod. tit. & adducit ex contrario l. 1. §. Scavola. 15. ff. si is qui test. lib. est iuss. quo in loco, quo minus propriam significationem admittamus, nihil veritat.) l. si extraneus. 44. ff. de donat. inter vir. & uxor. & suadent istam acceptionem l. si is qui. 15. pr. ff. de usurp. & usucap. & l. in bello. 12. §. 1. & seq. ff. de capt. & poslim.

18. IV. Aliquando sumitur Possessio metonymicè pro ipsa re possessa, & quidem immobili, adjunctum nimirum pro subjecto. l. cum miles. 11. ff. de alien. judic. mutand. caus. fact. l. magis puto. 5. §. idem præter. 10. ff. de reb. cor. qui sub tut. vel cur. sunt. l. Quasitum. 12. pr. ff. de instruct. & instrum. leg. l. si medicus. 3. ff. de extraord. cogn. (vel ut habet vulgata, de variis, & extraord. cognit. quam lectionem aliquo modo confirmat. l. 5. pr. ff. eod. tit.) l. si ea pecunia. 6. & l. quotiens. 15. C. de Rei vind. l. Possessiones. 2. C. de probat. l. si propter. 8. C. de compens. l. si curator. 3. C. arbit. tut. l. minorum. 6. C. de pred. & ali. reb. minor. Quorsum etiam referimus l. cum res. 4. C. de contr. empt. junct. l. interdum. 78. ff. de verb. signif. & quidem aliquando amplius in specie videtur significare eam rem immobilem, cujus proprietas apud nos non est, ut in l. Quæstio. 115. ff. de verb. signif. quo sensu possidere idem sonat, quod prædia possidere. l. un. §. dabitur. 4. ff. de rip. munien. l. ne quid. 7. ff. de incend. ruin. naufr. l. final. §. si aliquis. 15. ff. de muner. & honor.

19. V. Et quidem omnium frequentissimè Possidere usurpatur pro detentione cum animo sibi habendi, ut notat Cujac. lib. 9. obs. 33. vel cum affectione insistendi suo nomine, & sibi, ut vult Joh. Cephal. vol. 3. cons. 399. n. 10. Hinc etiam Græci Possessionem dixerunt καλοχὴν. l. 1. pr. ff. de A vel A. Poss. Ut enim verbum καλέχην Græcis idem est, quod retinendi animo aliquid occupare, tenere, eidemque incumbere; (unde & G. Longol. Utricenf. in Lexico suo exponit per verbum ἐπιζάνειν, quod insidere denotat,) ita & καλοχὴν proprie est detentio cum animo sibi habendi. Et

B

hanc

hanc quidem acceptionem in omnibus locis, quibus circumstantiæ aliam non suadent, in dubio apprehendendam esse putamus.

20. VI. Non rarè tamen & Possideri dicuntur illæ res, quæ propriè dictam Possessionem non admittunt: sed tantùm quasi possidentur, quales sunt jura incorporalia, hæc enim reverà non possidentur, *l. ait Prætor. 23. §. item ei. 2. ibi:* vel ususfructus quasi possessionem. *ff. ex quib. caus. major. l. Quod si. 16. §. idem Iulianus. ult. ibi:* veluti juris possessor est. *ff. de hered. petit. l. servitudes. 14. pr. ff. de servit. l. si ades. 32. §. 1. f. ibi.* possideri non possint. *ff. de serv. præd. urban. & tamen possideri dicuntur in l. regulariter. 9. l. nec ullam. 13. §. pnal. l. filiusfam. 34 §. 1.* (in quem locum verba illa, quæ nos urgemus, quasi a juris possessore, ex seq. lege irrepsisse eruditè notat, & alio exemplo confirmat Cujac. *lib. 13. obs. 8*) & *seq. l. 35. ff. de hered. petit. l. ult. f. ff. si pars hered. pet. l. 3. §. si servus. 10. ibi.* ex possessione servitutis. *ff. de A. vel A. P. l. ult. ibi.* jus fundi possedisse. *ff. de itin. actûque priv. l. ait Prætor. 2. §. habere. 3. ibi.* possessionem vel corporis, vel juris. *ff. de precar. l. un. in medi. ibi:* & rei sit possessor, & juris. *C. de his qui potent. nom. titul. præd. a fig.*

21. Præmissis igitur tot hujus verbi *πολυσήμω* significationibus exponendum nunc restat, quânam in significatione hoc in loco accipiatur. Et constanter quidem asserimus, etiam hoc in textu quintam, ceu frequentiore, & maximè propriam significationem præcipuè arripiendam esse, quasi Jctus ita dixisset: Plures eandem rem in solidum detinere cum animo sibi habendi, vel cum affectu insistendi suo nomine, & sibi, non possunt: quamquam non negemus, etiamsi una vel altera ex reliquis acceptionibus adhibeatur, veritati tamen propterea nullo modo vim aliquam inferri, ut ex seqq. apparebit.

22. Nam primam significationem quod attinet, omninò verum est, plures eandem rem in solidum tenere, etiam absque verè possessionis animo, non posse, quod exemplo nummi, aut lapilli, quem manu teneo, & pugno comprehendo, omnibus manifestissimum est. natura enim non permittit, ut cum ego eundem manu conclusum in solidum teneam, alter quoque eundem tenere possit. Quod tamen Jctus Paulus voculam *Possidere* eo sensu hic non accipiat, ex subjctâ ratione & *αιτιολογία*, quâ prædicatum generis, (detentionis,) attribuitur speciei, (possessioni,) certi esse possumus; ut taceamus abusivam locutionem non facile sta-

lè statuéndam esse, si contextus proprietatem sermonis admittat.

23. Eodem modo & secunda significatio à veritate non aber-
rat, Plures scil. unius & ejusdem rei possessionem in solidum
acquirere non posse, & per consequens nec retinere; quæ etiam
videtur esse ratio, quod Amplifs. Meiero in Coll. Jur. Arg. placue-
rit hanc ipsam quæstionem de possessione plurium in solidum in-
ferere thes. 7. in quâ, ut inscriptio præfert, de acquirendâ posses-
sione agitur. Sicuti & tertia, quod scil. plures eandem rem in
solidum usucapere non possint, cum usucapione adjiciatur domi-
nium per continuationem possessionis. l. 3. ff. de usurp. & usucap.
duorum autem in solidum dominium esse non possit. l. sicut certo.
§. §. fin. ff. commod. Interim tamen subjecta exempla, & ipse tit. as,
(qui de possessione non usucapione conceptus est,) suadent Pau-
lum ab hac tertiâ acceptione fuisse hoc in loco alienum.

24. Quartam significationem omninò hîc excludimus, cum
ea locum habere non possit, nisi vocabulum Possidere absolute
ponatur, exemplo legum supra thes. 18. in f. allegatarum. Et quid,
quæso, diceret Jctus, si ita loqueretur: Plures eandem rem in so-
lidum prædia possidere non possunt? Non itidem sextam: Nam
etsi certi sumus Jctum secundum proprietatem vocabuli posses-
sionem attribuere rebus tantum corporalibus, cum non potue-
rit non memor fuisse illius, quod initio hujus legis monuerat;
Possideri autem possunt, quæ sunt corporalia: si tamen placet
alicui sententiam Pauli etiam ad res incorporales, & jura exten-
dere, non erraret; Nam plures easdem res incorporales in soli-
dum quasi possidere non posse æquè certum est.

25. Sed an hoc ipsum, quod Paulus asserit, Plures scil. eandem
rem in solidum possidere non posse, intelligendum erit de diver-
sis specie & numero differentibus possessionibus: an verò de unâ
eademque possessione? Glossa ad h. §. (quæ desumpta est ex Bart.
ad l. 3. §. hunc. §. n. 1.) ita sententiam Pauli limitat: Eadem possessio
numero non potest esse in solidum apud plures: sed plures pos-
siones ejusdem rei specie vel numero differentes, possunt esse
in solidum apud plures. Quæ Bartoli & glossæ opinio à Joh. Glos-
satore, à Dyno, & communiter à Dd. recipitur, & approbatur,
quadantenus assensum præbente etiam ipso Bachov. in not. ad
Trent. vol. 2. disp. 21. thes. 2. lit. D. ita scribente: Negari non potest,
quin penes duos diversi generis possessio esse possit, veluti natu-
ralis penes creditorem, civilis penes debitorem.



26. Nos nefas ducimus hâc in parte recedere ab eâ sententiâ, quam Antecessores, & Præceptores nostri constanter defende-
runt, exemplo Capitonis, quem in his, quæ ei tradita fuerunt,
perseverâsse testatur Pomponius *in l. 2. §. ult. vers. hi duo. ff. de orig.
Jur. & omn. mag.* Putamus itaque Possessionem esse imam speciem,
quæ ut genus in species alias dividi non possit. Nam quamvis
varia possessionum genera enumerentur *in l. Possideri. 3. §. genera
possessionum. 21. & seq. ff. de A. vel A. Poss.* quamvis etiam variæ occur-
rant Possessionum divisiones; tamen eas veras divisiones generis
in species non esse luculenter demonstratur à Colleg. Jurid. Ar-
gent. *lib. 41. tit. 2. thes. §. per tot. vol. 2.*

Quia tamen præ reliquis Possessionis divisionibus, tan-
quam generis in species contradistinctas, & oppositas, acriter
Dd. propugnant eam, quâ Possessio alia Naturalis, (vel etiam
Corporalis,) alia Civilis dicitur, ut videre est apud Bart. *dict. loc.*
Dynam *in cap. sine possessione. 3. de Reg. Jur. in 6.* (ubi circiter trigin-
ta rationes allegat,) Francisc. Duaren. *in tit. de A. vel A. Poss. ad l. 1.
pr. p. mihi 616. §. nunc videndum.* Contium, *lib. 1. disp. cap. 9.* Pet. Frid.
Mind. *in tract. de mater. poss. passim, in primis cap. 4. n. 2.* Vaudum, *lib.
2. quest. 3.* Eman. Soarez, *in thesau. sentent. lit. P. n. 163. & seq.* Ba-
chov. *dict. vol. & disp. thes. 1. lit. F.* ideo paulò diligentius in eam in-
quirendum, cum præsertim de aliis Possessionis divisionibus, *in-
fra in 3. §. parte,* commodior dicendi locus se aperiat; hoc præmis-
so, quod ex variis terminorum acceptionibus, (quorum accura-
tam evolutionem vide in Coll. Jur. Argent. *dict. loc. n. 6.*) illâ præ-
cipuè utamur, quâ naturaliter possidere dicitur is, qui non pos-
sidet opinione domini, & civiliter is, qui opinione domini pos-
sidet: cum nos non fugiat, hanc significationem, etiamsi perpetua
non sit, reliquis tamen frequentiore esse, attestantibus id Cu-
jac. *lib. 9. obs. 33.* & Georg. Obrech. *ad tit. de A. vel A. Poss. c. 3. thes.
146. 151. & 171.* aliisque pluribus: Licet communiter Dd. Na-
turalem illam dicant, quæ corpore retinetur, Civilem illam, quæ
animo: quam nos quoque interdum usurpabimus, in primis quo-
ties κατ' ἀπορίαν, ex mente Dd. aliquid proferendum erit.

28. Et jam olim quidem, referente Jafone *in l. 1. in pr. col. 12. ff.
de A. vel A. Poss.* & Zasio *ibidem, n. 15. pag. 20. b.* Azo, & Placentinus
unam tantum speciem possessionis esse statuerunt, quæ per se sit
naturalis: sed approbatione, & extensione civilis, quam opinio-
nem *dict. loc.* Zasio testatur sibi semper placuisse, & se eam eni-
xè se-

xè secutum esse, sicuti eam repetit in enarratione §. nostri. s. in pr. ubi dicit: Est ergo una possessio in suâ substantiâ, ut dixi, quæ est, & dicitur vera, naturalis, & realis possessio. Cæterum in istâ possessione sunt variæ habitudines, variæ qualitates, varii respectus. & eandem ulterius deducit, n. 6. & seq. ubi addit; non esse majorem errorem unquam in jure commissum, quàm cum Accurs. & Dd. possessionem in Naturalem & Civilem, tanquam in species separatas diviserunt.

29. Et quidem hanc divisionem Possessionis in Naturalem, & Civilem non esse generis in species inde manifestum est, quod in unam numero possessionem contrariæ istæ qualitates, habitudinesque diverso tempore succedant, absurdum autem est, unum individuum sub duabus esse speciebus: v. g. si quis rem alienam à non domino emat, putans venditorem dominum esse, is bonâ fide, & opinione Domini, atque ita civiliter possidet, & usucapionem inchoat, pr. Inst. de Usucap. & long. temp. prescr. At postquam resciscit, se rem à non domino emisse, & ita intelligit se rem alienam possidere, amittit quidem bonam fidem, & opinionem domini, & ita desinit possidere civiliter, incipietque possidere tantum naturaliter; at non desinit possidere, quia nihilominus in usucapione pergit, eandemque perficere potest. l. Bonæ fidei. 48. §. in contrarium. 1. ff. de Acqui. rer. dom. l. 2. §. si servus. 13. ff. pro emptor. l. iulianus. 17. §. 1. in f. ff. de Rei vindic. cum sine possessione usucapio contingere non possit. l. 25. ff. de usurp. & usucap.

30. Accedit sententiæ huic non exigua firmitas ex eo, quod, cum pollicellio facti sit, l. 1. §. si vir. 4. ff. de A. vel A. Poss. l. Denique. 19. ff. ex quib. caus. major. l. in bello. 12. §. facti. 2. ff. de captiv. & postlim. & facta regulariter sint individua. l. stipulationes non dividuntur. 72. pr. ff. de Verb. ob. g. consequens sit, possessionem, uti factum individuum, in duas separatas species dividi non posse, quam rationem Achilleam vocat Zas, dict. loc. n. 9. p. 38. a. ubi antecedente n. 8. rem illustrare conatur duabus similitudinibus à nive, & animâ hominis desumptis. In nive, scribit ille, albedo est, & frigus, quæ sunt diversæ qualitates intrinsecæ, diversæque operationis, & est tamen una nix, quoad sui substantiam; nam albedo nivis facit cæcutire; sed frigus horrere. Numquid hæ sunt operationes diversæ? & est tamen una & eadem nix. Sic una & eadem est anima, quæ habet tres potentias diversæ operationis, memoriam, voluntatem, intellectum, nihilominus non faciunt triplicem animam: sed una remanet anima trium potentiarum. Quæ

31. Quæ cum ita sint affirmare non dubitamus, quod pronuntiatum hoc nostrum Pauli intelligendum sit non tantum de unâ eadêmq; possessione, quod scil. plures eandem rem in solidum possidere non possint civili possessione, vel naturali: Sed etiam de diversis possessionibus; quæ quidem specie non differunt; ex accidentariis tamen qualitatibus, indêque dependentibus effectibus, inter se distinctæ sunt: quod scil. plures eandem rem in solidum possidere non possint ita, ut alter civiliter, alter naturaliter possideat. Nam de quocunque dicitur, eum civiliter, aut naturaliter possidere, ille aut solus possidebit, aut planè non possidebit, ait Treutl. *vol. 2. disp. 21. thes. 4. inf. lit. K.* idque cum Cujac. *lib. 9. obs. 32.* Donell. *ad tit. C. uti possidet. n. 7. & seqq.* Connan. *lib. 3. comm. cap. 10.* Joh. Borcholt. *tract. feud. cap. 9. n. 26.*

32. Sed hîc videre licet maximum inter Dd. contradicentes dissensum, quorum proinde tres diversas opiniones *dict. loc.* adducit Treutl. clarioribusque verbis explicat Bachov. *in animad. ad Tr. ibid.* Prima est eorum, qui alium civiliter, alium naturaliter possidere statuebant; quæ ipsissima Sabinianorum sententia est, approbata à communi Dd. scholâ, ut videre est apud Bart. *ad h. l. 3. §. 5. n. 1. & seq.* Jason. *ibid.* Francisc. Duaren. *in comment. ad tit. de A. vel A. Poss. ad §. nosir. §. cir. f. p. 642.* Joh. Vaudum, *lib. 2. quest. 3.* Altera est eorum, quæ duos civiliter possidere posse putabant, quam sententiam sibi defendendam susceperunt Petrus Rogerius, quem refert Didac Covarruv. *ad cap. Possessor m. f. 2. relect. 2. n. 4. de Reg. iur. in 6. & Vaconius à Vacunâ, declarat. 39.* Tertia denique eorum est, qui penes duos Naturalem possessionem esse posse defendebant, quæ opinio ascribitur Martino antiquo Glossographo, & Bartol. *ad l. si ut certo. §. ult. n. 9. ff. commod. per. l. final. ff. uti possid.* & exiguum apud Dd. applausum meruit. Quibus quartam adjicit Petr. Frid. Mind. *in tract. de mater. possess. cap. 10. n. 4.* cum pauculis aliis, ut ipse fatetur, putans duos non modo civiliter: sed etiam naturaliter in solidum posse eandem rem possidere.

33. Effet quidem operæ pretium in primæ hujus partis expositione paulò diligentius inquirere in fundamenta, quibus superstructæ sunt diversæ istæ opiniones, & imprimis adducere illorum exempla, quibus concursum possessionis in solidum, sive ea Civilis, sive Naturalis sit, demonstrare conantur: sed quia primaria respondendi refutandique ratio in tertiâ hujus §. parte continetur,

netur, meritò in eundem locum laborem hunc deferimus, & ad
explicationem reliquorum verborum, quæ in primo, primæ par-
tis, membro supersunt, nos accingimus.

34. Addit Jctus, *in solidum*, quæ verba nonnullos interpre-
tari *ex eadem causâ* scribit Franc. Duaren. *dict. loc. in pr. explicat. §.*
nostri. p. 641. quasi Paulus diceret: plures eandem rem ex eadem
causâ possidere non possunt, ubi approbamus censuram ipsius
Duareni *ibidem* scribentis, interpretationem hanc sibi videri
quàm ridiculam esse, quod inaudita sit hæc significatio, nec ul-
lum possit exemplum proferri. Est enim *in solidum* possidere to-
tam rem possidere. Nam quamcunque rem possidemus, illam
vel totam, vel pro parte possidemus: si totam, possidemus *in so-*
lidum; si pro parte, tunc vel pro diviso, vel pro indiviso, utrobique
tamen rem certam, possidemus. Pars pro diviso certa est ratione
loci, pars pro indiviso est quidem secundum quid incerta, qua-
tenus non incurrit in sensum: certa tamen est ratione quotæ, di-
midix, tertix, quartæ, &c. quæ eodem modo rectè possidetur. *l.*
locus. 26. l. si quis fundum. 43. pr. ff. de A. vel A. P. l. Emptor fundi. 4. pr. §.
1. ff. pro emptor.

35. Et hoc ipsum, quod dicitur de possessione, procedit etiam
in dominio, non obstante, quod possessio nihil commune habe-
at cum proprietate. *l. Naturaliter. 12. §. 1. ff. de A. vel A. Poss.* Plures
enim non possunt esse domini *in solidum* unius rei. *l. si ut certo. §.*
§. si duobus. ult. ff. commod. cum naturalis ratio satis demonstret hoc
fieri non posse, ut si unus habeat totum jus liberè disponendi de
re aliqua, quod domini est, alterum quoque eodem jure gaude-
re. Possident quidem duo eandem rem, quam habent commu-
nem, ut socii: sed socii non sunt domini *in solidum* rei commu-
nis: sed pro partibus indivisis, quæ animo & intellectu magis ha-
bentur, quàm corpore *l. servus communis. §. in pr. ff. de stipul. servor.*
Cum itaque dicimus rem esse communem duorum, non hoc si-
gnificamus, singulos esse *in solidum* dominos ejus rei. Natura
enim hoc non patitur: sed hoc intelligimus, singulos habere par-
tes ejus rei, & quidem indivisas, quæ magis habentur animo,
quàm corpore. Vide Duaren. *dict. loc. p. 641.*

36. Subjicit Jctus, *rem eandem*. Hic intelligendam esse rem
corporalem patet ex eo, quod corporalia tantùm possideri pos-
sunt *l. Possideri. 3. pr. ff. de A. vel A. Poss.* Incorporalium verò proprie
nulla possessio fit. *l. sequitur. 4. §. si viam. 27. ff. de Usurp. & Usucap.*
Nec

Nec id mirum, quia possessio acquiritur animo & corpore. *l. Quemadmodum. 8. ff. de A. vel A. Poss.* at corpore apprehendi non potest, quod incorporeum est. Tangi enim nulla res, nisi corporalis, potest, ut inquit Lucretius. Hinc Theophil. *in pr. inst. de interdict.* possessionē ita definit: Νομή ἐστὶ σωματικῆς πράξεως καὶ κατοχῆς. Possessio est rei corporalis detentio. Et hanc in parte adesse universi Juris consensum testatur Coll. Jurid. Argent. *lib. 41. tit. 2. thes. 11. n. 1.*

37. Sed quia tamen utilitatis causā eò ventum est, ut rerum incorporalium usus habeatur pro possessione. *l. quotiens. 20. ff. de servitut.* & eorum jurium tuendorum gratiā dentur interdicta quasi possessoria. *l. sicut autem. 8. §. Aristo. 5. vers. sed & interdictum. ff. si servitus vindic.* in quā lege datur interdictum uti possidetis contra eum, qui me non patitur uti eā servitute, in cujus quasi possessione sum: idē non absurdum quis statuerit, qui assertionem Jcti Pauli ad eas quoque res accommodaturus, & dicturus est, quod plures eandem servitute, sive ea realis, sive personalis sit, in solidum quasi possidere non possint. Coniungantur ea quæ *supra thes. 20. & 24.* hanc ipsā de re allata sunt.

38. Denegat autem Jctus ejusdem rei possessionem in solidum *Pluribus*, quod vocabulum ratione subjectorum exemplorum videri posset restringendum esse ad duos, cum omnia ea mentionem faciant possessionis duorum, sicuti & Julianus *in l. 19. in pr. ff. de precar.* tribus vicibus hoc vocabulo utitur, dum inquit: *Duo* in solidum precariō habere non magis possunt, quā *duo* in solidum vi possidere, aut clam. Nam neque justæ, neque injustæ possessiones *duæ* concurrere possunt: Sed quia in possessione in solidum tribus, quatuor, quinque, aut pluribus assignanda eadem militat ratio prohibitiva, quæ impedit, quò minus vel duo saltem ad solidam ejusdem rei possessionem pervenire possint: (sicuti enim animus, qui totam rem, cujus possessio acquisita est, occupatam, comprehensamque tenet, facit, ut nec unus ad veram ejusdem possessionem tam diu pervenire possit, quā diu eam non omiserit; ita etiam longè fortius operabitur, ut nec duo, tres, quatuor, &c. eandem sibi asserere possint,) non dubitamus retinere nativam vocabuli significationem, & à possessione in solidum excludere omnes eos, qui plurali numero signari possunt.

39. Erit itaque hujus primæ, primæ partis, membri hæc vera sententia. Etsi unius ejusdemque rei corporalis possessio pluribus, & diversis ex causis alicui obvenire possit: non tamen ex
contra-

19

contrario duo, tres, quatuor, aut etiam plures unius ejusdemque rei corporalis possessionem in solidum sibi acquirere, atque ita eandem rem corporalem in solidum possidere possunt; sive sermo sit de uno eodemque genere possessionis, Civilis, Naturalis, Justæ, Injustæ, Bonæ fidei, Malæ fidei: sive de diversis Possessionibus, non quidem specie differentibus; ex accidentariis tamen qualitatibus inter se distinctis.

40. Secundum primæ partis membrum, quod sententiæ Paulinæ ἀλλοιολογίαν, & decidendi rationem subjicit, his verbis in Pandectis Florentinis continetur: Contra naturam COEpe est, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris. sive ut Haloandrina, & Basileensis editiones paululum immutato vocum ordine habent: Quippe contra naturam est, ut cum aliquid ego teneam, tu quoque id videaris tenere.

41. Illationem JCTi in hoc membro putamus esse hanc. Quicquid prædicatur de genere, illud etiam prædicandum est de specie: Atqui de genere Possessionis, scil. de detentione prædicatur, quod ea per rerum naturam non possit esse in solidum penes duos, pluresve: E. illud quoque prædicandum erit de specie detentionis, scil. de Possessione, quod scil. per rerum naturam ea non possit esse in solidum penes duos, pluresve.

42. Ad pleniorum hujus membri intellectum primò omnium in veram vocis *Natura* significationem inquirendum est. Naturam enim, (quam Græci φύσις appellant, & nonnulli ab eo dictam volunt, quod nasci faciat, videatur Joh. Oldendorp. in *Lexico*,) in jure nostro variè usurpari in confesso est. Nam interdum *Natura* dicitur prima causa, à quâ omnes omnium causæ producuntur, quâ in significatione accipitur pro Deo ipso creatore cæli, & terræ. § in *pecudum*. 37. *Inst. de rer. divis.* quo in sensu Florentinus graviter dicit in *l. ut vim*. 3. ff. de *Iust. & Iur.* Naturam constituisse inter nos cognationem quandam, quorsum & communiter referunt *l. sed & si restituatur*. 28. §. *si paterfam. ult.* ff. de *judic.* Audiamus hæc de re Senecam *lib. 4. de benefic. cap. 7.* ibi: *Natura*, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen Deo. Quid enim aliud est *Natura*, quàm Deus, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inserta? & seq. *cap. 8.* Ergo nihil agis ingratiissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ: quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura: sed

C idem

idem est utrumque, nec distat. Non tamen assensum præbemus Accursio, qui in *pr. Inst. de Iur. Nat. Gent. & Civ.* naturam, quæ omnia animalia jus naturale docuisse dicitur, Deum interpretatur, cum longè commodior sit ea vocabuli acceptio, quam dedimus *posit. 2. disput. nostr. inaugurali.*

43. Proxima ea significatio est, quâ solemus appellare *Naturam*, rationem honesti, sive naturalem illam Dei operationem, quæ mentibus nostris insedit, cujus ipse Deus auctor est. Ita usurpatur ab Augustino *lib. 3. confess. cap. 8.* qui locus relatus est in *Jure Canonico, C. Flagitia. 13. caus. 32. quæst. 7.* item ab Imp. Justinia, in *§. singulorum. 11. Inst. de rer. divis.* ubi vetustius jus naturale, (gentium scil. utpote à quo modi acquirendi ibidem relati dependent,) cum ipso genere humano rerum *Naturam* prodidisse ait. Unde etiam dicitur *Naturalis æquitas in l. Hoc edictum. 1. pr. ff. de minor. 25. ann.* quam scil. secundum constantem & perpetuam voluntatem sequitur magistratus.

44. Nonnunquam etiam *Natura* hominum pro voluntate eorundem pronâ ad malum, quæ eis per primi parentis lapsum, & Satanae imposturam indita est, ab ipsis etiam *Jctis* accipitur, ut ab Ulpian. in *l. Item si unus. 17. §. principaliter. 6. ibi: res fere sine exitu futura est, propter naturalem hominum ad dissentendum facilitatem. ff. de recept. qui arbitr. receper.* itemque ab Imp. Theodosio, & Valentiniano in *l. meminimus. 2. in pr. C. quando & quibus pars quarta debet. lib. 10. t. 34. ibi: Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur.*

45. Frequentissimè tamen omnium denotat vim, conditionem, seu qualitatem omnibus rebus corporalibus, & incorporalibus inditam, innatam, attributam, & ex primordiis inhærentem. Sic dicitur *Natura rerum, in l. 4. ff. de prescr. verb.* *Natura hominum, in l. Respiciendum. 38. ff. de reb. cred. si cert. petat.* Item in *l. Arescusa. 15. ff. de stat. homin.* *Natura agrorum, in l. 1. §. final. in l. in summâ. 2. §. apud Namusam. 6. ff. de aq. & aqu. pluvi. arcendâ.* Sic locus sui naturâ damnum inferre dicitur, in *l. fluminum. 24. pr. ff. de damn. infec.* Sic Cælius rem suâ naturâ interiisse scribit, quæ fato suo functa est, in *l. si plures. 14. §. ult. ff. de depositi.* eodem modo, quo idem in *l. si vina. 15. pr. ff. de peric. & comm. rei vend.* vina suâ naturâ corrupta asserit. Sic Julianus in *l. cum emptor. 5. ff. de rescinden. vendit.* acceptilationem non suâ naturâ valere scribit, id est, non propriâ vi & potestate ei ab initio inditâ. Quomodo & vis genuina,

na,

na, omnibus animantibus innata, naturæ nomine venit, in §. *Apium quoque*. 14. & seqq. *Inst. de rer. divis. l. 1 §. & generaliter*. 7. ff. *si quadrup. pauper. feciss. dicat.* unde ea feritas genitalis dicitur, in *pr. vers. ceterum. Inst. eod. tit.*

46. Atque in hac ultimâ, eaque frequentiori significatione credimus usum, esse hoc in loco Ictum Paulum voculâ Naturæ, quasi diceret: Vim, qualitatem, seu conditionem corporibus ab initio & primordio rerum naturalium attributam inditamque non permittere, ut quam rem totam ego manu teneam, pugnóque inclusam comprehendam, tu quoque eandem in solidum tenere, pugnóque includere, & comprehendere possis. Nam quamvis fieri possit, ut plures fortè eandem rem, (v. g. equum, librum, cathedram, columnam, similémque,) manu attingere, apprehendere teneréque possint; tamen tali actu à singulis non totum corpus in solidum: sed certas potius partes attingi, apprehendi, tenerique quivis noctuinis oculis non præditus apertè videt. Verùm de his plura dicendi infra in parte quartâ textus nostri commodior locus se offeret.

47. Ex quibus non obscurè colligimus sequentia *αοσιμολα*.
I. Argumenta, quæ à Naturâ sumuntur, in Jure esse fortissima.
II. Quoties deficiat aperta legis dispositio casus alicujus emergentis, in Jure & consiliis posse allegari rationem naturalem. Nam ut Bald. in *l. 1. C. de serv. fugitiv.* scribit: Stultus est, qui quærit aliam rationem, quàm Naturam vel sensum. ubi allegat Averroem. (nec enim in libris Juris nostri inusitatum est Medicorum testimonium, uti Paulus in *l. septimo. 12. ff. de stat. homin.* ad Hippocratis doctissimi viri auctoritatem provocat; quam etiam laudat Ulpian. in *l. intestato. 3. §. de eo a. final. ff. de suis, & legitim.* ubi Dn. Gothofr. in *not. marginal.* adjicit: cuilibet in arte suâ perito credendum esse,) qui consentientem habet Galenum, in *lib. de sanitat.* scribentem: Quod oculi vident, aures audiunt, non esse necesse probare. Sic Modestin. noster in *l. scire oportet. 13. §. si n. quis 7. ff. de excusation.* allegat pro ratione Naturalem Justitiam, quemadmodum & Paulus noster in *l. cum ratio. 7. ff. de bon. damnat.* se fundat in Naturali ratione, quasi lege quâdam tacitâ, quam rationem naturalem Bald. in *l. unic. §. cum igitur 1. C. de caduc. toll.* vocat Clypeum, sub quem tegatur jus nostrum. Videantur plura apud Zas. in *enarrat. §. nostr. n. 4. p. 30.* ubi in fine ita alloquitur auditores suos: *Ista sunt ornamenta in hac difficili materiâ, ut levetur vobis tædium.*

48. Dignum autem imprimis observatione est, quod Ictus non simpliciter ita formet sententiam, contra Naturam esse, ut cum ego aliquid teneam, tu quoque id *teneas*: sed quod notabiliter, & ut nostrates loqui amant, cum emphasi & mysterio utatur vocabulo *videaris*, quod verbum *πρασικόν* est, & fictionem denotat, exemplo *l. Naturaliter. 12. pr. ff. de A. vel A. possess. & l. ex imperfecto. 23. in f. ff. de leg. & fideic. 3.* (in quâ lege contra mentem Gothofredi, verbum *videtur* *πρασικόν* accipiendum esse suadet *l. Princeps. 31. ff. de legib.*) Quomodo & in hoc ipso §. in partè quartâ, & ultimâ bis hoc in sensu eadem vocula reperitur, dum Paulus ait: Non magis eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare *Videaris* in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere *Videaris*.

49. Erit ergo hic sensus Pauli nostri. Quam rem ego teneo, vel ubi ego sto, aut sedeo, eandem rem tu tenere, vel ibi tu stare aut sedere non modò *in veritate* non potes: sed nec *fingi* potest, ut eandem rem tenere, ut ibi stare, aut sedere videaris. Quod argumentum est præcisæ impossibilitatis. Nam quæ per naturam, rerumque naturalium conditionem, & qualitatem constare, evenireque nullo modo possunt, ista nec fictione quâdam introduci posse dicenda sunt, exemplo manifesto in §. *minorem. 4. Inst. de adoption.* ubi negatur minorem natu majorem adoptare, & ita fictitium filium efficere posse, quod pro monstro sit, ut filius sit major natu, quàm pater verâ & naturali generatione.

50. Quod ipsum Pauli pronuntiatum de detentione in genere, ut primam paragraphi partem concludamus, nos cum eodem accommodamus ad speciem, id est, possessionem propriè dictam, & intrepidè dicimus, usque ad eò duos pluresve unam rem in solidum possidere non posse, ut etiam hoc juris potestate fingi non possit, nisi quis manifestam ipsi naturæ, conditionique rebus naturalibus insitæ, earumque qualitatibus vim inferre velit.

SECUNDA PARS PARAGRAPHI.

51. Secunda paragraphi pars consistit in his verbis: Sabinus tamen scribit, eum qui precario dederit, & ipsum possidere, & eum, qui precario acceperit; & conjungitur quidem cum præcedenti parte per conjunctionem discretivam, seu adversativam *Tamen* satis commodè hoc sensu: Quamvis rerum Natura non permittat, ut duo pluresve eandem rem in solidum posside-

possidere possint; Sabinus tamen exemplum aliquod in contrarium afferre conatus est, ex materiâ Precarij desumptum. Nam rem precariò concessam duos in solidum possidere existimavit, eum quidem, qui precariò dederit, civiliter; alterum verò, qui precariò acceperit, naturaliter.

§2. Ut pleniorē habeamus horum verborum intellectum, subdividemus ea in duo membra specialiora. Quorum primum agit de Auctore hujus sententiæ, quisnam ille Sabinus fuerit, qui hoc scripsit; alterum de ipsâ sententiâ, quam scripsit, addito breviter iudicio nostro, utrum ea probanda, an verò rejicienda sit.

§3. Auctorem ipsum quod attinet, apparet ex *l. 2. §. post hunc maxima. fin. ff. de origin. iur.* plures fuisse hujus nominis Ictos, ex quibus duo præcipuè celebres, magnæque famæ fuerunt: *Massurius scil. Sabinus, & Cælius Sabinus.* Et Massurius, (ut libri Florentini nomen hoc constanter exprimunt, licet alij *Masurius* habeant,) Sabinus quidem è plebe homo Atejo Capitoni in disciplinâ Juris successit, & Coccejum Nervam æmulum habuit. Receptus est tandem in equestrem ordinem jam grandis natu, & annorum ferè quinquaginta. Ei neque amplæ facultates fuerunt, & plurimum à suis auditoribus sustentatus est, obtinuitque à Tiberio Cæsare, ut sibi de jure respondere liceret, atque ita publicè primus rescripsit. *dict. l. 2. §. ult.* Extat de hoc Massurio illud in Satyrâ Persei carmen, in personâ Libertini:

Vindictâ postquam meus à Pratore recessi,

Cur mihi non liceat, jus sit quodcunque voluntas,

Excepto si quod Masuri rubrica notavit.

§4. Cælius autem Sabinus successit Cassio Longino in disciplinâ juris. Is ab Otthone Imperatore bimestrem, Quinctili scil. & Sextili Mense, cum Flavio Sabino fratre Imperatoris Vespasiani, consulatum acceperat, quorum honori ne Vitellius quidem Victor intercessit, auctore Tacito. Vespasiani tamen temporibus plurimum eum potuisse attestatur Pomponius *in dict. l. 2. §. ult. in f.* eâ proculdubio de causâ, quod cum fratre Imperatoris Flavio Sabino amicitia, & concordî consulatu conjunctus fuerat. Plura de his videri possunt apud Bernard. Rutilium, *in vitis Ictorum, sub Massurio Sabino, pag. m. 213. & sub Cælio Sabino, p. m. 227.*

§5. Putamus autem in nostro textu à Paulo allegari priorem illum Massurium Sabinum, idque eâ ratione, quod Cælius Sabinus

nus unicum tantum librum edidisse dicatur de edicto Aedilium Curulium, in quo multa de venalium servorum legibus, tanquam de praecipuo aedilitii edicti argumento, scripsit, quae materia cum Precario, aut etiam cum Possessione, nullam videtur habere affinitatem. Cum contra à Massurio Sabino plura ferantur opera relicta: Memorabilem scilicet libri XII. Juris Civilis libri III. (qui inserti sunt indici Pandectis praefixo, ex quot antiquis Auctoribus compositum sit Digestorum opus,) Commentarii de indigenis, & unicus liber de furtis. Ex quibus voluminibus Gellius, Macrobiusque multa nominatim sumere, quaeque eruditissimis commentariis illustrata sunt à Pomponio libris XXXV. ab Ulpiano libris LI. à Paulo libris XVI. ut quadantenus colligi potest ex *pr. Inst. de hered. Instit.* Et si quid conjecturam assequi possumus, existimamus locum nostrum desumptum esse, ex libris tribus Juris Civilis, quibus dubio procul difficilissimam hanc Possessionis materiam diligenter exposuit.

56. Sententiam ipsam hujus Massurij Sabini quod concernit, mutuatur ille exemplum aliquod possessionis duorum in solidum à Precario, quod precibus utendum petenti conceditur tam diu, quam diu is, qui utendum concessit, patitur. *l. 1. pr. ff. de precar. l. 2. §. & naturalem. 2. ff. eod.* in hoc enim liberalitatis genere, uti vocatur *dict. l. 1. §. 1. ff. de precar.* putat Sabinus & eum possidere rem precario concessam, qui dedit, quae etiam sententia Ulpiani est, *in l. certè. 6. §. is qui rogavit. 2. ff. eod. tit.* Et eum, qui precario accepit, quod, alio tamen in casu, vult idem Ulpian. *in l. in rebus. 4. §. meminisse. 1. & §. item qui. 4. ff. eod.* atque ita dari unius ejusdemque rei duos possessores in solidum, ex quibus prior civilem, quam animo retinet; alter naturalem, cui corpore incumbit, possessionem habeat.

57. An verò adducto huic Sabini exemplo fides aliqua habenda, facile apparebit, si naturam ipsius Precarii, diversumque rogandi modum paulò accuratius considerabimus. Precarium enim; (quod neque donatio, neque contractus verè & proprie dici potest: sed potius de naturâ utriusque participat, similèque donationi & commodato esse dicitur *in l. 1. §. & est simile. 3. l. interdictum. 14. ff. de precar. l. eum qui emit. 14. §. is qui precario. 11. ff. de furt.* Add. Treutl. *vol. 1. disp. 24. §. lit. c. & seq.* & Coll. Jur. Arg. *lib. 43. tit. 26. §. 2. & 3.*) non uno & eodem modo: sed diversimodè constituitur. Interdum enim, & quidem frequentius, precarium quis

quis rogat simpliciter, ut in possessione sit tantum; Interdum vero precibus quis illud addit, ut sibi possidere liceat, quæ distinctæ precarium constituendi formæ in legibus mox allegandis fundamentum sat firmum habent.

58. Priori modo si in eatur precarium, is qui simpliciter rogavit, ut in possessione sit tantum, rem precario concessam non possidet: sed possessio istius remanet penes dantem, qui eandem possidet suo animo, & alterius corpore, eodem planè modo, sicut per servum, colonum, inquilinum, procuratorem, eum apud quem deposuimus, cui commodavimus, & alios quoscunque, qui alienæ possessioni ministerium præstant, secundum *l. Quod meo. 18. in pr. ff. de A. vel A. Poss. possidemus*. Unde etiam precarium, & conductio conjunguntur in *l. cum & sortis. 35. §. 1. ff. de pign. act.* Et denegatur quidem huic, qui ita simpliciter precarium rogavit, possessio in *l. si quis ante. 10. §. idem Pomponius. 1. ibi: precario autem rogavit, non ut possideret: sed ut in possessione esset. ff. de A. vel A. Possess. l. si fur. 32. §. ult. ibi: Precarii rogatio non in hoc interponitur, ut debitor possessionem habeat: sed ut ei tenere rem liceat. ff. de Usurp. & Usuc. l. 2. §. habere. 3. l. 6. §. is qui rogavit. 2. l. Quæsitum. 8. in pr. & l. cum precario. 21. ff. de precar.*

59. Et hoc quidem jure optimo. Cum enim precarium magnam cum commodato habeat affinitatem, dicit *l. 1. §. 3. ff. de precar.* & utrumque usum rei ad alterum transferat, eâ quidem differentiâ, ut in commodato usus cum certo modo, tempore, & fine præscribatur ab eo, qui beneficium tribuit, *l. in commodato. 17. §. sicut autem. 3. ff. commod.* in precario autem usus tam diu relinquatur, quam diu concedenti libuerit, *l. 2. §. & naturalem. 2. ff. de preca.* manifesti autem juris sit, quod commodatarius rem commodatam non possideat, *l. Rei commodata. 8. ff. commod. l. officium. 9. ff. de R. vind. l. Possideri. 3. §. sed si is. 20. ff. de A. vel A. Poss.* quis non videt, idem statuendum esse de eo, qui simpliciter rem precario rogavit, quique aliàs in re concessâ minus juris, quam commodatarius, habet: A tenente enim precarium, quocunque tempore concedens mutaverit voluntatem, revocari potest; à commodatario autem ante finitum usum intempestivè rem repetere non officium tantum impedit; sed & suscepta obligatio inter dandum accipiendumque. dicit *ll.*

60. Sin autem posteriori modo precarium constituatur, is qui rogavit, ut sibi possidere liceat, verè nanciscitur possessionem, sed natura-

naturalem tantum, ex qua non procedet usucapio, cum non possideat opinione domini. *l. si servus. 22. §. is qui pignori. 1. ff. de noxal. action.* & eo casu precarium concedens nullo modo, nec civiliter, nec naturaliter possidebit. *§. Retinenda. 4. vers. nam uti possidetis. Inst. de interd. l. communi. 7. §. inter praedones. 4. ff. commun. divid. l. Quaecunque. 13. §. interdum. 1. ff. de Public. in rem act. l. ait Praeter. 2. §. habere. 3. l. in rebus. 4. §. meminisse. 1. & §. item qui. ult. l. Certe. 6. §. Iulianus. 3. l. Precario. 9. l. cum precario. 12. pr. §. 1. l. 16. l. qui precario. 17. & aliis locis pluribus, ff. de precar. l. Pomponius. 13. §. si is qui. 7. ff. de A. vel A. Poss.*

61. Et haec quidem precaria possessio, quam diu concedens eam penes possidentem remanere patitur, justa possessio est, hoc enim praedicatum eidem attribuitur *in d. l. quaecunque. 13. §. interdum. 1. ff. de Public. in rem. in l. si servus. 22. §. is qui pignori. 1. ff. de noxal. action. l. communi. 7. §. inter praedones. 4. ff. commun. divid. & fac. l. Pomponius. 13. §. si is qui. 7. junct. §. ult. ff. de A. vel A. Poss.* Quia tamen precarium repetenti, sequestrata omni mora, statim reddendum est, *l. 1. in pr. & §. distat. 2. l. 2. §. & naturalem. 2. ff. de precar.* accidit, ut si non illic reddatur, possessio ea fiat injusta, quae etiam causa est, cur saepissime in Jure precaria possessio trigae malae fidei possessionis, quam Graeci βία, ἢ λάθρα, ἢ ἀπάτη possidere vocant, inseratur, & cum violenta & clandestina possessione passim jungatur, ut videre est *in l. si quis diuturno. 10. in f. pr. ff. si servit. vindic. in l. Pomponius. 13. §. Cum quis. 1. ff. de A. vel A. Possess. l. 1. pr. §. perpetuo. 5. & §. quod ait Praetor. 9. ff. uti possidetis, & in aliis locis cumulatim à Coll. Jur. Arg. lib. 41. t. 2. thes. 20. in pr.*

62. Erit igitur constans haec jurique consentanea sententia, repudiata Sabini opinione, nuncquam in precario concurrere posse duorum possessionem in solidum. Nam siquidem roganti placuerit simpliciter, & communiori modo petere, ut in possessione sit tantum, non possidebit rem precario concessam: sed naturaliter tantum eandem detinebit, possessione remanente penes concedentem. Si vero precarium non constiterit in terminis simplicibus: sed accesserit qualificata ea petitio, ut sibi possidere liceat, omnino dicendum veram possessionem à concedente in rogantem translata esse, qui, quamdiu concedenti placuerit, solus rem concessam possidebit.

63. Sed nonne haec Sabini opinio conceptis verbis continetur *in l. Et habet. 15. §. eum qui. 4. ff. de precar.?* Ita certe multis videtur,

25.

tur, & inter eos etiam doctissimo, & acris ingenij Viro Bachovio, (quo elogio eundem condecorat Amplif. Mejerus noster in *præfat. ad Lector. tom. 1. Coll. Jur. Argent.*) in *animadv. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. thes. 4. lit. k p. 321. & seq.* ita scribenti: Sabiniani posteriori hoc sensu, (id est diverso genere possessionis,) duos, alterum civiliter, alterum naturaliter, alterum justè, alterum injustè, possidere eandem rem posse existimaverunt: cum nihil prohibeat, aliquem animo possidere civiliter, ut corporalis tamen possessio penes alium existat; & hoc contingit in precario, ut possideat qui rogavit, nec tamen possessio civilis discesserit à cōcedente, qui rem, quandoque vult, revocare potest, veluti hoc expressum est in *l. 15. §. 4. ff. de precar.*

64. Quanquam verò Cujac. (quem unum Petr. Fab. *lib. 1. semestr. cap. 7. & lib. 2. c. 10.* sibi pro centum millibus esse profitetur,) *lib. 9. obs. 32. post. pr.* respondeat, eum locum Pomponij sumptum esse ex libris, quos ille ad Sabinum scripsit, attestante id ipsâ legis inscriptione, & proinde continere sententiam Sabinianorum, à quâ Labeo, & cæteri Jcti, in primis Proculejani, immò & aliorum, qui à partibus Sabini aliàs steterunt, discessionem fecerint; quam Cujacij, & Treutleri eam approbantis responsionem, illâ, quam mox allaturi sumus, sinceriores judicat Bachov. *dict. loc. pag. 322.* non tamen facere possumus, quin præferamus, & pro ingenij nostri tenuitate propugnemus eruditissimam istius legis ἀναλύσιν, quam habet celeberrimus Antecessor, & Præceptor noster Mejerus, in *Coll. Jur. Arg. lib. 41. tit. 2. thes. 7. n. 17. object. 2.* quâ assumptâ facilè cuivis apparebit, non approbatam eo in loco: sed potius improbatam Sabinianorum sententiam contineri.

65. Summa Mejerianæ ἀναλύσεως hæc est: comprehendendi in *dict. §. 4.* duos diversos casus constituendi precarium, supra *thes. 57. & seqq.* à nobis etiam explicatos. Et priora quidem verba pertinere ad secundum modum precarij, si quis precibus annectit, ut sibi possidere liceat, hunc enim nancisci possessionem non esse dubium. Sequentibus verò verbis afferri novam aliquam & generaliorē quæstionem, pertinentem vel ad primum membrum, si scil. rogavit, ut sibi tantum in possessione esse liceat, vel certè si precarium simpliciter constitutum sit; & ita quidem responderi ad allatam quæstionem, ut liceat intelligere, utrumq; simul non possidere eodem casu. Dicit enim Pomponius, *penes utrumque esse*

D eum

eum hominem qui precario datus esset, (ubi plurimum inter se differant, utrumque possidere, & rem penes utrumque esse, cum res non modo sit penes eum, qui possidet, l. penes te. 63. ff. de verb. sign. sed etiam penes eum, qui tantum detinet, fac. l. locum. 3. § si tabula. 2. junct. l. 1. pr. ff. de tabb. exhib. l. qui legatorum. 2. § 1. ff. pro hered. &c.) penes eum, qui rogasset, quæ possidet corpore, id est, sine possidendi animo rem naturaliter tenet, ut is, apud quem res deposita est: penes dominum, quia non discessit animo possessione, id est, simpliciter rogatus noluit in rogantem possessionem transferre: sed sibi eam retinere, & per rogantem possidere.

66. Hanc Mejeri nostri explicationem contortam appellat Bachov. talèmq; quæ paulò frigidiorè, & subineptam quæstionem Jcto ascribat, loco suprà citato, quamvis suppresso nomine, ita tamen ut haud obscuras inserat conjecturas, quæ nobis confirmare possunt, tela ibidem emissa in Mejerum directæ esse. Quarum primam desumimus à temporis circumstantiâ, dum dicit, locum istum aliquos prorsus contortè noviter ita explicasse, quod optimè in Mejerum quadrat, qui ante biennium, dum Bachov. Anno Christi 1619. adulto hæc scriberet, secundum tommum Coll. Jur. Argent. in lucem emiserat 4. Cal. Septemb. An. 1617. Alterum colligimus ex subjunctâ explicatione l. 3. in pr. ff. uti possidet. quam, ut æquè noviter allatam, iisdem illis, de quibus modo dixit, ascribit; est autem explicatio dict. l. quam innuit, prorsus ea, quam Mejerus noster habet, dict. lib. 41. tit. 2. thes. 7. nu. 17. object. 1. Ut tertio taceamus in allegandâ istâ explicatione non sensum modo: sed ipsissima Mejeri verba afferri. Etsi enim fieri potuisset, ut Minervâ, aut Ilythejâ favente, alius etiam observasset istam legis ἀνάλυσιν, (δυνατὸν γὰρ ἐστὶ ταῦτα νοήματα εἰς διαφορὰς ἐρχοσθαι ἀπορροῦς, ut ex Eustat. monet Petr. Fab. lib. 3. semest. cap. 24.) eamque ut à se inventam protulisset, haud dubiè tamen in verbis licuisset aliquam deprehendere discrepantiam.

67. Sed breviter afferendæ sunt vindiciæ Mejeri, & inquirendū utrum Bachovij rationes illius ponderis, & momenti sint ut evincant. Mejerum jure merito tam gravi censurâ notatum fuisse. Et primò quidem, cum fundamentum explicationis Mejerus posuerit in notissimo Juris principio, duos in solidum non possidere, scribit Bachov. hic peti videri principium, quoniam Sabini diverso possessionis genere duos possidere absurdum non dixerint. Sed regerimus nos, licet locus noster desumptus sit ex libro

libro Pomponij 29. quem ad Massurium Sabinum scripsit, nul-
lam tamen firmam esse consequentiam, ut statuamus Pomponi-
um fuisse Sabinianum, & per consequens propugnâsse etiam er-
roneam Sabinianorum opinionem, statuentium duos eandem
rem diverso possessionis genere possidere posse. Potuit enim
Pomponius commentariis suis illustrare diversæ sectæ auctorem,
& nihilominus Proculejanorum sententiæ subscribere, in quo-
rum castra eum dubio procul secessisse vel illud argumento est,
quod Labeonem Proculejanorum auctorem, non sine singulari
elogio enchiridio suo inseruerit, eundemque ab ingenij qualita-
te, doctrinæ fiduciâ, & studio in cæteris operis sapientiæ com-
mendârit: cum contra in descriptione Jctorum, qui in Sabinia-
norum castris stipendia memerunt, à tali laude sibi temperet, ut
videre est ex l. 2. §. ult. vers. hi duo. ff. de orig. iur.

68. Deinde subjicit Bachovius, obstare Mejerianæ explicatio-
ni, quod in precario regulariter, & in dubio, possideat is, qui rem
precario rogavit, quod, ut ante probatum, præsupponit, & ita
etiam simpliciter à Jcto in h. l. 15. §. 4. proponi asserit, ita ut alic-
num fuerit à mente Jcti quæstionem aliam, & generaliore fin-
gere. Sed hoc ipso Bachov. principium peti videtur, & fallaciæ
insimulationem, cujus Mejerum paulò ante reum peregerat,
haud facilè effugiet. Nam Mejerus nuncquam assensum suum
præbuit illi opinioni, quâ regulariter possessio rei precariæ ro-
ganti attribuitur, ut videre est ex dict. thes. 7. n. 5. sed ex contrario
constanter defendit, precarium rogantem non aliter nancisci
possessionem, quàm si in specie addat precibus, ut sibi possidere
liceat, *ibid. thes. seq. 8. n. 1 §.* Quomodo ergo opinio ea, quam Mej-
erus suam non fecit, obstare posset explanationi ab eo allatæ? Cur
Mejero denegatur idem jus paulò ante Sabinianis indultum, qui-
bus eâ de causâ objici non posse regulam Juris, duos in solidum
non possidere, statuebatur, quia ipsis absurdum non esset, diver-
so possessionis genere duos possidere posse?

69. Tertio putat ipsam seriem & contextum plusquàm ma-
nifestò arguere unum ibi casum tractari, scil. eum, quo rogans
nanciscitur possessionem, & paulò frigidius, & subineptè quære-
re Jctum, an concedens possideret in eo casu, ubi possessio ad ro-
gantem non transit. Sed ex quibus verbis eruuntur ista manife-
sta argumenta, quod in hoc paragrapho unus tantùm tractetur
casus? Ergo novum & inauditum in jure est, in unâ Lege, immò

in uno paragrapho sæpius cumulari, & decidi plures quæstiones præsertim in hac precarij materiâ, quod non uno eodémque modo contrahi apertè docet vel unica *l. si quis. 10. §. idem Pomponius. 1. ff. de A. vel A. Poss.* & proinde, ratione diversorum modorum contrahendi, diversas continere potest quæstiones? Nec tamen propterea frigidior, & subinepta erit Jcti Pomponij quæstio, et si etiam in casu simplicis precarij, & quando possessio in rogantem non transit, quærat, an is quoque, qui rogatus sit, possideat. Nihil enim prohibet dicere, quæstionem eam à Pomponio afferri non ex suâ mente, ut qui nullam habebat probabilem rationem dubitandi: sed κατ' ἀπορίαν, & ex hypothesi Sabinianorum, in omni precario utrique, & roganti, & concedenti, possessionem ascribentium; quod ipsum manifestò innuunt verba à Pomponio usurpata: dubitatum est, quibus aliis, (Sabinianis sc.) non sibi dubitationem eam ascribit.

70. Denique carpit etiam Mejerum in eo, quod distinctionem fecerit inter phrasas: *Utrúmque possidere, & penes utrúmque esse*: dicit non esse captanda verba, quasi aliud sit possidere, & penes aliquem esse, cum verba sint accipienda juxta subjectam materiam; & quia quæstio sit proposita de possessione, de eadem etiam responsum accipi debeat. Sed benè se res habet, nulla hîc verborum est captatio, quæ non in eum cadit, qui phrasi aliquâ aliter non utitur, quàm Jcti ipsi eadem usi sunt. Possessio enim propriè sumpta attribui depositario non potest, propter *l. licet. 17. §. rei depositæ. 1. ff. de pos.* & tamen tabulæ testamenti apud aliquem depositæ rectè & propriè dicuntur penes depositarium esse, *dict. l. 3. §. sit tabulæ. 2. junct. l. 1. pr. ff. de tabb. exhib.* Et in propositâ quæstione de possessione rei precariæ non potuit Jctus in responsione, salvis Juris principiis, quibus, ut Proculejanorum partibus plus favēs, addictus erat, uti vocabulo *Possessionis*, & dicere: placet autem utrúmque possidere eum hominem, qui precariò datus est: sed necessariò erat adhibendum tale verbum, quod & de verâ possessione, & naturali detentione explicari posset, hoc sensu, ut penes rogantem sit homo ratione detentionis corporalis, sine animo possidendi: penes concedentem, quatenus animo suo, alteriusque corpore retinet possessionem. Cadit itaque finalis Bachovij collectio asserentis, juxta Mejeri explicationem termini, *penes aliquem esse*, sequi, quod in constituto precario aut penes neutrum possessio esset, aut quod penes utrúmque æqualiter esset. Et tantum etiam de secundâ paragraphi parte.

TER-

TERTIA PARS PARAGRAFI.

25.

71. Tertia paragraphi pars his verbis absolvitur: idem Trebatius probabat, existimans posse alium justè, alium injustè possidere. duos injustè, vel duos justè non posse, quem Labeo reprehendit, quoniam in summâ possessionis non multum interest, justè quis, an injustè possideat. quod est verius: & potest commodè in tria membra distribui, ita ut in primo referatur Trebatij opinio; in secundo addatur Labeonis reprehensio; in tertio denique subjiciatur ipsius Pauli *in l. 1. §. 1. ff. de leg. 1.*

72. In primo, tertie partis, membro, distinctè consideranda veniunt ipse Auctor Trebatius, & ejusdem opinio de possessione plurium in solidum. Auctorem à Paulo laudatum quod attinet, fuit ille C. Trebatius Testa, Eques Romanus, qui Adolescens adhuc in amicitiam & fidem M. Tullij Ciceronis, Romuli Nepotum disertissimi, se contulit, eoque, dum vixit, Patrono fortunarum suarum, & honoris est usus. Naturâ fuit familiaris & jocosus, ut ex Epistolis Ciceronis ad eundem exaratis, quibus, magnorum virorum judicio, nihil possit fieri festivius, ostenditur. Locum etiam inter Poëtas eum habuisse Horatius Flaccus innuit, qui in Satyrâ ad eum scriptâ Trebatium patrem optimum appellat, & doctum. Vixit itaque annis aliquot ante Massurium Sabinum, cujus in secundâ paragraphi parte facta est mentio.

73. Caterum hic Trebatius fuit in Jure Civili singulari memoriâ, & summâ scientiâ, in quo Præceptorem habuit P. Cornelium Maximum, Jurisperitum, discipuli, quàm suo nomine, celebriorem. Ideoque ipsius auctoritas Augusti temporibus dicitur fuisse maxima. Cum enim Imperator deliberaret, an usus codicillorum ante ea tempora insolitus introducendus esset, convocavit sapientes viros, interque eos Trebatium quoque, & quaesivit, an possit recipi hoc, nec absonans à Juris ratione Codicillorum usus esset. Suasit autem Trebatius Augusto, utilissimum, & necessarium hoc civibus esse propter magnas & longas peregrinationes apud veteres usitatas, ut si quis testamentum facere non posset, tamen Codicillos posset. *in pr. Inst. de Codicill.* Libros de Jure Civili multos composuit, & de Religionibus IX. sed ejus opera non nimis lectitari solita scribit Pomponius *in l. 2. §. fuit eodem. 45. ff. de orig. jur.* ex cujus judicio eundem peritiorem, D 3 quàm

quàm eloquentiorem fuisse constat. Plura de eo qui scire desiderat, adeat Bernard. Rutil. *in vitis Ictorum, sub C. Trebatio Testa. m. p. 184. & seqq.*

74. Hic Trebatius non tantùm probavit opinionem eam, quam postea Massurius Sabinus, & omnes Sabiniani sibi imprimis defendendam susceperunt, rem scil. precariò datam ab utroque possideri, à concedente quidem civiliter, à rogante verò naturaliter: sed & conatus est alia adhuc afferre exempla possessionis unius ejusdemque rei in solidum. Statuit enim unam rem ab alio justè, ab alio injustè uno & eodem tempore in solidum possidere posse, quamvis non concedat in unâ eademq; re concurrere posse duas pluresve possessiones justas, aut injustas.

75. Ut exempli hujus Trebatiani pleniorè habeamus intellectum, ipsorum terminorum, *Possessionis justa & injusta*, explicatio necessariò præmittenda est. Videri enim posset alicui quasi justa possessio planè eadem esset cum eâ, quæ bonæ fidei dicitur; injusta cum eâ, quæ malæ fidei appellatur, propterea, quod pleraque habeant inter se communia, ita ut omnis possessio bonæ fidei sit etiam justa, & omnis possessio malæ fidei sit injusta, quomodo & in *l. si quid, 31. §. iustus a. 2. ff. de hered. petit.* possessor dicitur *iustus*, qui bonæ fidei possessor est, & prædoni opponitur in *pr. dict. l. & ejusd. §. 3.* sed reverà ab invicem differunt, id attestante vel unicâ *l. Bona fidei. 48. §. in contrarium. 1. ff. de Acq. rer. dom.* in quâ ille, qui bonâ fide possidere cœpit, & inchoavit usucapionem, si eâdem numero durante possessione cognoscat se rem alienam possidere, desinit bonæ fidei possessor esse, succedente malâ fide, & tamen perseverat per longum tempus capio, & ita non desinit jus illius possessionis, nec ille justus possessor esse.

76. Dicitur itaque justa possessio ratione causæ efficientis maximè propriè ea, quæ ex justâ possidendi causâ contingit, & proinde erit Justus Possessor, qui alicujus rei possessionem ex justâ causâ sive titulo sibi acquirit: cujusmodi causæ non modò sunt eæ, ex quibus dominium quæritur, ut emptionis, *l. sunt & alie. 3. §. ait Prator. 1. l. 7. §. ut igitur. 16. ff. de Public. in rem act. donationis, l. si ego emi. 11. §. interdum. 3. ff. dict. rit. Legati, l. 2. ff. eod. dotis, dict. l. 3. §. 1. rei judicatæ. ead. l. 3. §. 1. f. solutionis, l. 4. ff. eod. noxæ deditiois, l. 5. eod. t. l. Et generaliter. 28. ff. de noxal. action. adjudicationis in judiciis divisoriiis, l. sed etsi. 7. pr. ff. de Public. in rem act. §. ult. Inst. de offic. judic. permutationis, dict. l. sed etsi. 7. §. sed etsi.*

s. Juris-

§. Jurisjurandi, si quis juret rem suam esse, *dict. l. 7. §. si petenti. 7.*
 si quis iustus sit possidere ex secundo decreto, *l. si finita. 15. §. Iulia-*
nus. 16. & seqq. ff. de damn. infect. Sed etiam alia, quæ dominium
 possidenti conferre non solent, ut causæ pignoris, & precarij. *l.*
Quacunque. 13. §. interdum. 1. ff. de Publ. in rem. l. 7. §. inter prædones. 4.
ff. comm. divid. & sequestri, si scil. id agatur, ut sequester possideat,
l. interesse. 39. ff. de A. vel A. Poss. l. licet. 17. §. rei depositæ. 1. ff. depositi.

77. Ex quibus apparet injustam possessionem æstimandam
 esse ex defectu harum causarum, & proinde eum dicendum in-
 justum possessorem, qui cujuscunq; rei possessionem apprehen-
 dit sine prævio aliquo titulo eorum, quos modò enumeravimus.
 Atque ita injusti possessores dicuntur, qui vi aut clam possessio-
 nem adepti sunt, *l. si duo. 3. in pr. ff. uti possid. l. 7. §. inter prædones. 4.*
ff. comm. divid. & eorum possessio appellatur improba, in l. 7. C. de
ac. & retin. poss. Fundamentum hujus denominationis ratione
 possessionis tam justæ, quàm injustæ invenimus *in sæpe dict. l. 7. §.*
Sed & si quis. 3. ibi: habet publicianam, & *ibi:* est enim justus pos-
 sessor, *junct. l. 1. in pr. ibi:* ex justâ causâ, & *l. 3. §. 1. ibi:* qui igitur
 justam causam traditionis habet, utitur Publicianâ, *ff. de Public.*
in rem act. cum quibus alij etiam textus conjungendi, in quibus
 hujus ab accidentibus desumptæ divisionis fit mentio, ut *in l. ju-*
stæ. 11. ff. de A. vel A. Poss. l. iusta enim. 2. ff. uti possid. l. Duo. 19. pr. ff. de
precar. l. Emptor. 9. C. de præscrip. long. temp. l. si debitori. 2. C. si advers.
credit. præscrip. oppon.

78. De his justis, injustisque possessionibus Trebatius existi-
 mavit, id est, non leviter opinatus est, aut credendo erravit, quo
 in sensu Briffon. *in Lexico* dicit existimare idem esse, quod putare,
 opinari, & vocabulum hoc usurpari videtur *in l. item veniunt. 20.*
§. præter hac. 6. & imprimis §. hac adversus. 12. ff. de hered. petit. eo-
dem modo sicut putare, in l. cum putarem. 36. ff. famil. ercisc. sed cer-
tò & firmiter statuit, magnòque nisu conceptam sententiam de-
fendit, uti vocabulum existimare sumitur in l. non solum. 33. §. si do-
minus. 2. ff. de Usurp. & Usucap. l. sed etsi. 7. §. ult. ff. de Public. in rem act.
l. cum ancillam. 6. C. de condict. ob caus. dat. eadem planè significatio-
ne, quâ putare accipitur in l. statuliberos. 25. ff. de statulib.

79. Certò igitur & firmiter statuit Trebatius, quod unam
 eandemque rem corporalem alius possidere possit justè, id est, ex
 titulo, seu causâ emptionis, donationis, dotis, vel aliâ quâcunq;
 legitimâ, & approbatâ; alius injustè, id est, ex violentâ, aut clan-
 destinâ

destinâ invasione, aut ex constituto precario repetenti denegato; & quod per consequens dentur unius ejusdemque rei diverso respectu duo possessores in solidum: Quamvis fieri non possit, ut duo possideant eandem rem justè, sive sermo sit de unâ eademque causâ possessionis, ut si uterque ex titulo emptionis possidere dicatur; sive de diversis, ut si unus ex causâ donationis, alter ex solutionis possidere statuatur: sicuti nec fieri possit, ut duo possideant eandem rem injustè, sine distinctione, utrum de unâ, an de diversis injustis possessionibus sermo sit.

80. Et hanc Trebatij sententiam, quoad membrum posterius, omninò veritati consentaneam esse judicamus, eandem, inter alios, quoque confirmante Juliano *in l. 19. pr. ff. de precar.* ita scribente: Duo in solidum precariò habere nò magis possunt, quàm duo in solidum vi possidere, aut clam: Nam neque justæ, neque injustæ possessiones duæ concurrere possunt: Quoad prius verò membrum veritati manifestam vim inferre credimus, eâ in primis ducti ratione, quæ Labeoni ansam præbuit reprehendendi ipsum Trebatium, de quâ in secundo, tertiæ hujus partis, membro Paulus agit, & nos cum eo acturi sumus.

81. Absolvitur autem secundum illud membrum his verbis: Quem, (Trebatium scil.) Labeo reprehendit, quoniam in summa possessionis non multum interest, justè quis, an injustè possideat: Quæ itidem nobis distinctè consideranda proponunt, primò quidem personam reprehendentem, deinde verò factæ reprehensionis *αἰτιολογίαν*, & rationem.

82. Persona reprehendens est Q. vel (variant enim in prænomine, ut solent, exemplaria Auctorum,) M. Antistius Labeo, qui patrem habuit Antistium Labeonem, Virum, Appiani judicio, sapientiâ illustrem, qui inter occisores Julij Cæsaris fuit, & in partibus Pompejanis constantissimè perstitit, donec Pharsalicâ acie M. Bruto, cujus erat legatus, ab Octavio, & Antonio iniquitate fortunæ superato, ubi eum mortuum, se ab eo cum suspirio commemoratum, hostes autem victores cognovit, locum in tabernaculo ad corporis sui modum effodit, ac mandata ad conjugem, & liberos ferenda servis ex ordine tradidit, epistolas etiam ad familiares dedit. Unum deinde ex servis fidissimum dextrâ apprehensum, & ad se versum, (quod moris fuit Romanis in dandâ libertate,) tradito gladio, oblatoque ultrò jugulo, ut se necaret, jussit. Atque sic illi tentorium pro sepulchro fuit, & manus hostium eâ

ratione

ratione devitavit, ut hæc recenset ex Appiano Bern. Rutil. in vit.
Ictorum, sub Antistio Labeone, Patre & Filio, m. pag. 207. & seqq.

83. Tali Parente, (qui à Pompon. in l. 2. §. ab hoc plurimi. 44. ff. de Orig. Jur. inter Servii discipulos, & Juris Civilis scriptores numeratur,) progenitus Labeo noster gloriam Patris multis modis adauxit. Nam & cæteris operis sapientiæ, Philosophiæ nimirum, Grammaticæ, & Dialecticæ operam dedit, & Jus Civile à plerisque suæ ætatis natu grandioribus, sed à Trebatio præsertim, didicit. Hic, teste Pompon. dict. l. 2. §. post hunc. 47. totum annum ita diviserat, ut Romæ sex mensibus cum Studiosis esset; sex vero mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret, itaque reliquit quadraginta, seu, (ut correctiora habent exemplaria,) quadringenta volumina, ex quibus plurima manibus posterorum magno cum fructu trita, & in decidendis controversiis Juridicis frequenter adhibita sunt.

84. Ex his Labeonis operibus inter cætera enumerantur Commentarij ejus ad LL. XII. Tab. à Gellio lib. 1. noct. Attic. cap. 12. inf. XL. libri posteriorum; XXX. libri ad edictum Prætoris Peregrini, & complures ad edictum Prætoris Urbani, in quibus non modò varias difficilésque Juris Civilis quæstiones diligenter enodavit: sed & imprimis Latinarum vocum origines, rationesque, (quibus præcipuè ad solvendo plerosque Juris laqueos utebatur,) sedulo explicavit, ut hoc ipsum cernere licuit ex libris Posteriorum, post mortem ejus, ut ferunt, editis, quorum continui tres ultimi, trigessimus octavus nimirum, cum duobus seqq. pleni fuerunt eius generis rerum ad enarrandam, illustrandamque Latinam linguam admodum conducentium.

85. Hanc eruditionis, & assiduitatis purpuram in Labeone autumant nonnulli aliquo modo deturpari attextâ laciniâ *navo-
doxiæ*, & studii contradicendi, unde & ab Horat. lib. 1. sermon. Satyr. 3. istis versibus notatur:

————— *Labeone insanior, inter
Sanos dicatur, quantò hoc furiosus, atque
Majus peccatum est.* —————

Ubi Horatius, præter cætera, & illud tacitè carpit, quod cum mentio aliquando in Senatu illata esset, convenire, ut Augustum ipsi per ordines singuli custodirent, solus Labeo somnolentum se, & excubiis pro Augusto habendis inhabilem esse dixerit, referente id Dionys. Halicar. lib. 54. & apud Gell. lib. 13. cap. 12.

E

Ate-

Atejus Capito hominem hunc libertate quâdam nimia, ac ve-
cordiâ esse vexatum scribit, usque eò, ut Augusto jam principe,
& Rempubl. obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet,
nisi quod justum, sanctumque esse in Romanis antiquitatibus le-
gisset, ut pluribus deducit D. Georg. Eberlin, *in doctiss. suo Com-
ment. ad tit. de Orig. Jur. in vitâ Labeonis.*

86. Sed hujus objectionis virulentiam alij viri eruditi jam du-
dum diluerunt, ostendentes Labeonem, etiam oppressâ à Cæsare
Republ. ingenuâ adhuc libertate quasi in liberâ vixisse civitate,
atque ab adulandi studio, & assentatione, (cujus vitii notam Ho-
ratus ne à suis quidem interpretibus tacitam tulit, existimanti-
bus in gratiam Augusti Poëtam Satyricâ petulantia laudatos ver-
siculos scripsisse,) alienum fuisse, quemadmodum virtutis hujus
Labeo egregia dedit documenta. Nam in Senatus lectione, quâ
vir virum legebat, Publ. & Cn. Lentulis Coss. M. Lepidum, olim
Octavij Cæsaris hostem, & tunc exulantem legit, interrogatus-
que à Cæsare, an non essent alii digniores, suum cuique judici-
um esse respondit. Scribunt auctores Octavium eâ de re suppli-
cium homini interminatum, puerum eum appellasse, sed Labeo-
nem pari *καρπνοία* respondisse: Quid enim commisi, si hominem,
quem tu Pontificem esse permittis, (concupiverat enim id sacer-
dotium Octavius, nec tamen vivo Lepido, jam patriâ, omnique
reliquâ dignitate spoliato eripere audebat,) in senatum asscivi?

87. Eâ dicendi libertate effecit Labeo ut Octavio parum pro-
baretur, qui in injuriam ejus consulatum Atejo Capitoni accele-
ravit, ut hic Labeonem iisdem civilibus studiis præcellentem, &
diversæ Proculejanorum sectæ primum auctorem, dignatione
ejus magistratus anteiret. Tulerat enim illa ætas duo hæc pacis
decora simul, sed Labeo incorruptâ libertatis famâ celebrior erat.
Capitonis autem, hominis longè minus sui capitis, obsequium
dominantibus magis probabatur. Igitur Labeo intra præturam
stetit, tametsi Pompon, *dict. §. ult. l. 2.* scribat, oblatum ab Octavio
Consulatum, quo suffectus fieret, Labeonem suscipere noluisse,
quâ animi magnitudine commendationem non exiguam conse-
cutus est. Plura de hoc ipso qui scire desiderat, adeat Gell. *dict. l.
13. c. 12. item lib. 1. cap. 12.* & imprimis Rutil. *dict. lib. 6. pag.*

88. Hâc *καρπνοία* usus quoque fuit Labeo in reprehendendo
Trebatio, quem aliâs, ut præceptoré, & studiorum ducem, omni
honoris cultu profecutus est, memor vulgatissimi dicterii: Ami-
cus

cus Plato, amicus Socrates: sed magis amica veritas. Reprehendit autem Trebatium non idèd, quod, cum omnes alii duos, pluresve eandem rem in solidum, diverso tamen respectu, possidere posse indistinctè existimârint, sive ambo justè, sive injustè; sive alter justè, alter injustè possideant, ille tamen posse alium quidem justè, alium injustè possidere dixerit; duos verò justè, vel duos injustè non posse, quam sententiam fovet Petr. Frider. Mind. *dict. tract. de mater. possess. cap. 10. n. ult.* Sed reprehendit eum potius hoc nomine, quod, cum natura possessionis non permittat, ut duos, pluresve eandem rem in solidum possideant, propriè sumpto vocabulo, sive eodem, sive diverso respectu, ille tamen non dubitârît affirmare, posse alium justè, alium injustè rem eandem simul possidere, ut ex subjectâ reprehensionis ratione manifestum est.

89. Assignat enim Labeo reprehensionis suæ hanc causam; quoniam in summâ possessionis non multùm intersit, justè quis, an injustè possideat. In quibus verbis particula *Quoniam* causalis est, & ἀπολογικὴ, idèmq; sonat, quod *Quia*, vel *Quandoquidem*, quo in sensu in aliis quoque Juris textibus usurpatur, in *l. si ira. 12.* ibi: quoniam filius major ex arcâ decem sustulit. *ff. de Condit. & Demonstr. l. 1. §. si vir uxori. 4.* ibi: quoniam res facti, *ff. de A. vel A. Poss. l. sed etsi. 6. §. sic autèm. 1. ff. de legat. 3.* & pluribus aliis, quos cumulare plus ostentationis, quàm utilitatis haberet.

90. Verbum *Summa* ἀολύχηρον est, & proinde distinguendum. Nam usurpatur interdum in Jure nostro adjectivè, ut *summa divisio*, pro primâ, præcipuâ, & generaliori, in *pr. Inst. de Jur. Pers. §. Omnium. 1. Inst. de Action. l. 3. ff. de stat. homin. l. 1. ff. de Res. divis.* *Summa dies*, seu *suprema dies* pro novissimâ, in *l. fructus. 7. §. Papinianus. 1. ff. solut. matrim.* *Summâ providentiâ*, pro maximâ prudentiâ, in *l. 1. pr. ff. de legit. tutor.* *Summa ratio* pro urgentissimâ ratione. in *l. sunt persone. 43. in f. ff. de religios. & sumpt. fun. ut & in §. summa. 2. Inst. de noxal. action.* Interdum verò substantivè, ut quando legitur *summa condemnationis* in *l. 3. §. ult. ff. uti possid.* *Summa pignoris* in *l. creditori. 87. ff. de furt.* *Summa quæstionis* in *l. obligamur. § 2. §. ex peccato. 8. ff. de Oblig. & Action.* *Summa Reipubl.* id est, status, & firmamentum Reipubl. in *l. 1. §. licet autem. 20. ff. de exercitor. action.* (quanquam nihil prohibet, quò minus retineamus Florentinam lectionem, *summam Rempublicam*, ut eam retinet, & doctissimis exemplis confirmat Cujac. *lib. 12. obs. 32.*) *Summa una, diversa, major, minor* in *l. scire debemus. 29. pr. ff. de Verb. Obligat. l. in*



fraudem. 45. §. fiscalibus. 10. ff. de Iur. fisc. l. sed hoc. 22. & l. inter pares. 38. §. 1. ff. de re judic.

91. Sed nec in hâc ultimâ significatione vocabulum hoc apud Auctores uno eodémque modo usurpatur. Interdum enim generaliter accipitur pro collectione omnium rerum, quæ, quoties de valore fuerit quæsitum, in summam solent redigi pecuniariam, quippe cum is sit usus pecuniæ, ut omnium planè rerum corporalium, & incorporalium pretia, & æstimationem representet. *l. si in duabus. 104. ff. de Reg. Iur. interdum, & quidem sæpius, specialiter sumitur pro quantitate pecuniarum certâ, ut in l. querebatur. 20. ff. qui potior. in pignor. l. diligenter. 5. §. servo quoque. 4. ff. mandat. l. non potest. 117. ff. de Verbor. signif.* Quod si plures ejusmodi quantitates, plura nomina, & capita in rationibus tandem in unam summam rediguntur, efficitur *summa summarum*, quâ voculâ Plautus in *Truculento* usus est.

92. Nos in hoc loco per summam Possessionis cum Udalt. Zas. in enarrat. tit. de A. vel A. Possess. ad h. §. 5. l. 3. n. 2. f. & cum Francisc. Duaren. in dict. comment. tit. de A. vel A. Poss. ad h. l. 3. §. 5. pag. m. 641. intelligimus ipsam Possessionis substantiam, seu, ut Zasius pluribus verbis exprimere conatur, Possessionis radicem, medullam, & cardinem, hoc sensu: cum quæritur, an propriissimè loquendo aliquis verè possideat, non est respiciendum ad justitiam, æquitatem, & similia accidentia possessionis, utrum rem teneat ex justâ & legitimâ causâ, puta emptionis, permutationis, legati, vel aliâ quâcûnque; aut ex injusto titulo, puta ex clandestinâ, vel violentâ invasione; item utrum rem teneat animo, & opinione domini, ut in possessione Civili fieri consuevit, quæ proinde effectum Juris Civilis, ipsam scil. usucapionem producere solet; an verò teneat sine animo, & opinione domini, quod proprium est Naturalis possessionis, quæ usucapiendi jus afferre non potest; item utrum possessioni alicujus rei acquisitæ animo incumbat, quod Dd. Civiliter possidere dicunt; an verò corpore insistat, quod iidem Naturaliter possidere vocant; Ea enim omnia ad substantiam Possessionis non pertinent, & salvâ eâ adesse, vel abesse possunt, cum nihil, aut parùm, eo quidem respectu, intersit justè quis, an injustè; bonâ, an malâ fide; Civiliter, an Naturaliter possideat; sed in determinandâ illâ quæstione respiciendum unicè erit, an ea substantialia, & intrinseca requisita adsint, quæ in Legibus possessioni propriè dictæ hinc inde ascribuntur.

93. Ope-

93. Operæ itaque pretium erit paulò diligentius in substantialia Possessionis inquirere, & veritatis trutinâ exactè ponderare, utrum fieri possit, ut ista substantialia, ratione unius, ejusdemque rei corporalis, uno tempore, penes duos, pluresve in solidum esse possint. Desumi autem ea possunt ex definitione Possessionis, *suprà thes. 19. allatâ*, quæ vult, ut duo hæc necessariò adesse debeant: Primò quidem detentio rei ipsius possidendæ; Deinde verò animus rem sibi habendi, vel affectio insistendi suo nomine, & sibi. De quocunque igitur dicere possumus, quod rem aliquam detineat cum animo, & affectione sibi habendi, aut suo nomine insistendi, de eo quoque rectè dicemus, quod rem istam verè, & propriè possideat, & contra in quibuscunque unicum istorum requisitorum deficiet, illis etiam Possessionem veram, & propriè dictam denegabimus.

94. Ex istis requisitis prius, ipsa scil. detentio, genericum est, (videatur Franc. Duar. *loc. dict. pag. m. 615. a. in fin.*) competitque etiam aliis, quibus propriè dicta possessio denegatur, uti videre est ex omnibus istis textibus, in quibus detinere & possidere invicem opponuntur, §. *Est autem. 2. Inst. quib. mod. toll. obligat. l. stipulatio. 38. §. hæc quoque. 7. ff. de Verb. Oblig. junctâ l. Possessio. 49. §. qui in alienâ. 1. ff. de A. vel A. Poss.* ideòque opus fuit formam specificam exprimere per posterius requisitum: Nam quàm primùm detentio aliqua conjunctam habet istam affectionem sibi, vel suo nomine habendi, Possessio erit; quàm primùm ista affectio deficit, possessio quoque deficiet. *l. 1. §. furiosus. 3. §. Caterum. 9. §. hæc quæ de servis. 19. cum seq. l. Possideri. 3. §. & adipiscimur. 1. & §. in amittendâ. 6. l. si quis. 17. §. differentia. 1. ff. de A. vel A. Poss.* Ut enim aliàs animus facta distinguere solet, *l. qui injuriæ. 53. pr. ff. de furt. & aliis locis pluribus*: ita & hîc animus possidere volentis distinguit factum, sive detentionem possidentis, id est possessionem, ab aliâ quâvis detentione, vel alio quovis facto. Hinc ille, qui usum aliquem rei, vel custodiam sibi habere velit, negatur possidere *in l. is cui. 5. §. si plures. 2. ff. ut in possess. legat. vel fideicom.* & possidere dicitur tum demum, cum incipit rem tenere eo animo, ut sibi, vel suo nomine habeat.

95. Ex his apparet quod substantiam Possessionis absolvat non solum actus corporis, sed præter hunc vel maximè requiratur actus animi, cujus hæc natura & indoles, ut quàm primùm pes in latissimum aliquem, & vacuum fundum inferatur, illicò ani-

mus totum illud latissimè patens latifundium occupet, & quasi
sinu suo comprehendat, *dict. l. 3. §. 1. ff. de A. vel A. Possess.* compre-
hensumque, & occupatum teneat, quamvis corpore sit à fundo
recessum. *dict. l. 3. §. sed etsi. 7. & § saltus. 11. l. clam Possidere. 6. §. 1. l.*
si id quod. 25. §. quod autem. 2. ff. de A. vel A. Poss. & faciat, ut nemo
prorsus ad veram possessionem pervenire possit, quàm diu ani-
mus possessionem tenet, nec eam omiserit. Nam licet alius occu-
panda possessionis, ergò fundum ingressus sit, non tamen posses-
sionem reverà acquirat, nec poterit eo animo esse, ut reverà velit
possidere, antequam sciat fundum esse vacuum. *d. l. 3. §. sed etsi. 7.*
l. Quod meo. 18. §. penult. & ult. ff. dict. tit. Quod ipsum in rebus qui-
dem immobilibus indistinctè procedit, *arg. l. Quamvis. 46. ff. dict.*
tit. exceptionem autem aliquam patitur ratione rerum mobili-
um, quarum possessionem etiam ignorantes amittimus, quàm
primùm ab alio animo furandi contractatæ sunt, *l. 3. §. si rem apud*
te. 18. l. Rem que 15. & l. si rem. 47. ff. dict. tit. cujus diversitatis ratio
colligenda est *ex l. 3. §. Nerva. 13. ejusd. tit.*

96. Sed ulterius de animo eo rem sibi, vel suo nomine haben-
di monendum; quod licet ille secundum magis, & minus variet
in possessoribus, nihilominus tamen necessariò in omnibus ad-
esse debeat, & reverà etiam deprehendatur. Et nullum quidem
dubium est, quod animus vel maximè eluceat in eo, qui rem pro
suo, aut opinione domini possidet, id est, qui putat se dominum,
& rem suam esse; aut certè si sciat rem alienam, non suam esse,
scit tamen se ex possessione suà dominium acquirere posse. *Fac.*
l. si fur. 32. pr. ff. de Vsurp. & usucap. l. Male. 2. C. de prescript. 30. vel 40.
annor. Non minùs tamen & in illo deprehenditur animus, qui
non possidet pro suo, sed pro alieno, ut Creditor rem pignori ac-
ceptam. *l. Pignori. 13. pr. ff. de Vsurp. & Usucap.* Etsi enim dominium
se habere non posse sciat, a que adèd habere id nolit; corpus ta-
men rei vult habere, ut quotiescùnque libuerit naturalem ejus
possessionem nancisci, eique insistere, & rem tenere, & custodire
possit, citra alterius consensum, & permissionem. *Arg. l. 3. §. Ner-*
va. 13. & l. si rem mobilem. 57. ff. de A. vel A. Poss. Et hoc ipsum non
obscurè colligitur ex *§. Retinenda. 4. vers. Nam uti possidetis. Instit. de*
interd. l. Quacùnque. 13. §. interdum. 1. ff. de Public. in rem. l. si quis. 22.
§. si pupillus. 1. ff. de precar.

97. Patet ergò ex his præmissis quænam sit vera hujus à La-
beone allatæ ἀδιολογίας sententia, qua dixit: in summâ Possessio-
nis

nis non multum interesse; justè quis, an injustè possideat, eam nempe, quod accidentariæ istæ qualitates, & habitudines Possessionis, quâ quis vel justo, legitimo, & approbato titulo; vel contra injustâ, illegitimâ, jurèque improbatâ ex causâ possidet, non ingrediantur ipsam possessionis substantiam; & per consequens si quis aliquam rem corporalem teneat cum affectione sibi habendi, & suo nomine insistendi, ille verus proprièque dictus sit Possessor, nullo habito respectu quâ ex causâ, quòve titulo Possessio illi contigerit, & obvenerit.

98. Et hujus quidem rationis beneficio non modò refutare possumus opinionem Trebatij, cujus hæctenus facta mentio, stuentis posse alium justè, alium injustè possidere, (quippe cum Natura non patitur, si aliquis justo ex titulo, emptionis scil. fundum aliquem v.g. in solidum detineat cum affectione sibi habendi, atque ita verè possideat, ut alius, durante adhuc priori illâ Possessione, ex violentâ, vel clandestinâ invasione, æquè in solidum ad illius fundi possessionem, quamvis injustam, pervenire possit;) sed infervit etiam nobis eadem illa ratio ad revellendos Dd. in genere existimantes, posse, pluribus aliis casibus, unius, ejusdemque rei Possessionem in solidum penes plures esse; ita tamen ut vel diversæ species Possessionis præsupponantur, vel certè, (in quod pleriq; , explosis Possessionis speciebus, hodiè procliviores esse videntur.) diverso respectu istæ possessiones plurium in solidum fieri dicantur, ut in tertio, hujus tertiæ partis, membro fusiùs demonstraturi sumus.

99. Continetur autem in hoc tertio membro, ut *suprà thes. 71.* monuimus, *ἐπιπέρις* sive judicium ipsius Pauli Jcti de diversis, & inter se contrariis Sabini, Trebatij, & Labeonis opinionibus, his verbis: quod est verius. Quibus significat, se non in Sabini, & Trebatij: sed potiùs in Labeonis sententiam pedibus discedere, & proinde certò statuere, quod sicut generaliter loquendo, plures eandem rem in solidum possidere non possunt; ita nec in specie precarium concedens, & rogans simul rem precariò datam possideant; nec unus justè, alter injustè ejusdem rei veram Possessionem sibi asserere valeat, cum tales accidentariæ qualitates, & habitudines ipsam Possessionis substantiam nullo modo attingant.

100. Quod verò Paulus hoc in loco non simpliciter in positivo dicat: quod est *verum*: sed in comparativo loquatur, quod est *Verius*,

verius, non eam habet significationem, quasi utraque opinio, & Trebatii, & Labeonis, simul sit vera: in comparatione autem Labeonis sententia verior sit Trebatianâ, quomodo particulæ *Magis* & *Minus*, quarum significatio comparativis inest, sæpè in libris Juris nostri usurpantur, v. g. in *l. juberi. 4. ff. de Jurisd. l. Ea qua. 26. pr. ff. ad Municipal. &c.* Nam secundum Senecam *epist. 66. & lib. 2. natural. quest. cap. 34.* Vero nihil est *verius*, & quod in contradictione falso opponitur, id non propriè est *verius*, sed simpliciter verum dicendum. Erit itaque verbum *verius* interpretandum non ratione rei ipsius: sed ratione intellectus ipsius Pauli, & aliorum, ut idem sit quod *Probabilius*, vel *Verisimilius*; aut si omnino ratione rei ipsius intelligendum est, accipiendum erit positivè, & *θελικός*, ut uno posito alterum removeatur; non comparativè, & *συνηλικός*, ut utrumque simul, sed secundum magis, & minus ponatur.

101. Et quia hanc ipsam approbationem sententiæ Labeonis, à Paulo relatam, Imperator Justinianus corpori suo inseruit, & ita suâ auctoritate confirmavit, atque, ut ipse loquitur, in *Constit. Dedit nobis Deus. §. tanta autem. 10. de Confirm. ff.* suam fecit, sequitur quod ea non tantum ab omnibus pro Juridicâ meritò habenda sit: sed à nobis etiam ad refutationem exemplorum eorum, quæ à Dd. ad astruendam plurium in solidum possessionem, diverso respectu æstimandam, communiter afferri solent, commodè & utiliter adhiberi possit; quod ita facturi sumus, ut ordinem exemplorum à Petr. Frid. Mind. in *suprà dict. tract. de mater. Possess.* adhibitum observemus, & interdum alios quoque Auctores subjiciamus, qui pro allato exemplo pari ratione album calculum ponunt.

102. Primum exemplum Friderus *n. 15. desumit ex l. Et habet. 25. §. Eum qui. 4. ff. de precar. & vult rem precario concessam ab utroque in solidum possideri, à concedente quidem Civiliter, à rogante verò Naturaliter, quâ in parte consentientem habet Udalr. Zas. in comment. ad §. nostr. n. 21. & ut suprà thes. 63. & seqq. audivimus, ipsum Bachov. in animadv. ad Treutl. volum. 2. disp. 21. thes. 4. lit. k. pag. 321. Quæ verò sit congrua, aliisque Juris textibus conveniens istius paragraphi explicatio, & quod pro diverso modo constituendi precarium, modò concedens suo animo, & alterius corpore solius possideat; modò roganti naturalis & vera possessio unicè obtingat, loco suprà citato, & thesibus antecedentibus*

bus aliquot, fusius explicavimus, quò brevitatis studio in presentiarum nos referimus, ne actum agere, magnà lectoris molestiâ, videamur.

103. Secundum exemplum petit Frider. ex *l. si duo. 3. in pr. ff. uti possidet.* in quâ Ulpianus proponit possessionem justam, & injustam, quod scil. ego possideam ex justâ causâ, tu vi, aut clam, & decisionem ita format: si à me possides, superior sum interdicto eo, uti possidetis, si verò non à me, neuter nostrum vincetur, nam & Tu possides, & Ego. Quem locum planè terribilem credi testatur Amplif. Mejerus in *Colleg. Jur. Arg. lib. 41. tit. 2. thes. 7. n. 17.* & Francisc. Duaren. in *Comment. tit. de A. vel A. Poss. ad §. nostr. §. p. 642. a. in f.* disertè ita explicat, ut uterque possideat, unus Civiliter, alter Naturaliter, additâ generali ratione: cum diversa causâ possidendi sit, nihil prohibere, quò minus duo eandem rem in solidum possideant. Zas. quidem *dict. loc. n. 24.* difficultati huic mederi conatur hâc solutione, quam ipse expeditam vocat, ut distinguat inter Possessionem consideratam in sui substantiâ, & quoad veritatem, quomodo duo in solidum possidere rem eandem non possunt, de quâ intelligendus sit *§. noster §.* Et inter possessionem acceptam quoad apparentiam, quæ præsumitur ex actibus, & operibus Possessionis, v.g. fundum serere, colere, metere, fructus colligere, &c. quomodo duo vel plures eandem rem simul possidere possunt, de quâ, pertinente ad interdictum uti possidetis, *dict. l. 3.* accipienda sit. Cujac. autem *lib. 9. obs. 32. dictam l. 3. in pr. καὶ ἀπορίαν,* & de mente Sabinianorum proponi ait, quâ in parte planè *ὁμοῦ καὶ ἑνὸς* habet Mejerum nostrum, qui loco suprâ allegato eruditissimè legis istius principium ita resolvit, ut, si rectè animum advertamus, appareat, sententiam eam Sabinianorum, posse scil. duos in solidum eandem rem possidere, deductione ad absurdum refutari; quam *ἀνάλογον*, (non obstante Bachovij censurâ, quâ *dict. loc. p. 322.* iterum suppresso nomine Mejerum vellicat, & aliquando ipsis Jctis subtillorem dicit,) omninò nostram facimus, & defendendam suscipimus.

104. Tertium exemplum Friderus *n. 17.* obscurioribus verbis proponit ex *l. Possideri. 3. §. in amittendâ. 6. & seq. junctâ l. & si nolit. 7. ff. de A. vel A. Poss.* videturq; hæc illius esse sententia, quod si unus solo animo fundi possessionem retineat, atque ita, secundum vulgarem Dd. acceptionem, civiliter possideat, nihilominus alius fundum ingredi, in eo esse, eundemque sibi habere, atque

que ita naturaliter possidere possit, ubi manifestò concursus Civilis & Naturalis Possessionis in uno & eodem fundo appareat. Sed quod hoc exemplum minus quadret, docet vel unica *l. si id quod. 25. §. ult. ff. de A. vel A. Poss.* in quâ Jctus Pomponius utilior, magisque approbatam eam refert sententiam, quod rem eam, quam solo animo possidemus, usque eò possideamus, donec revertentes nos aliquis repellat, aut nos ita animo desinamus possidere, quod suspicemur, repelli nos posse ab eo, qui ingressus est. Quàm diu itaque nihil horum accidit, licet alius occupandæ possessionis ergo fundum ingressus sit, non tamen possessionem propriè dictam acquirat: sed tantùm corporaliter rem detinebit; nec enim reverà possidere poterit, antequam sciat fundum, & ita rem immobilem, esse vacuum, *dict. §. sed etsi. 7. leg. 3. l. clam possidere. 6. §. ult. & l. quod meo. 18. §. 3. junctâ l. si is qui. 23. ff. de A. vel A. Possess.*

105. Quartum exemplum Frider. *dict. loc. n. 18.* depromit ex *l. clam possidere. 6. §. ult. ff. dict. tit.* ubi Ulpianus statuit, eum, qui ad nundinas profectus neminem reliquerit, retinere possessionem, eum verò qui interea, dum alter à nundinis rediit, occupaverit possessionem, (quod Zaf. *sepe dict. loc. n. 12. in med. Germanico idiomate* ita profert: *Dass sich einer heimlich in das Haus verschleicht/* ubi & paulò post in genere approbat morem, quem etiam statuta nostra Academica exigunt, ut termini artis Juris linguâ vernaculâ Studiosis proponantur; dann das Deutsch kompt ihnen mercklich wol in practicâ,) videri clam possidere, aut si revertentem dominum non admiserit, intelligi eum magis vi possidere, in dem er das Gut thätlich hat behandel / ut Zaf. *ibidem* loquitur, ex quibus pateat absentem Civiliter, & justè; ingressum Naturaliter, & injustè simul in solidum possidere. Sed clariora sunt Ulpiani verba, quàm ut opinioni isti erroneæ patrocinentur. Nō enim simpliciter dicit Jctus, ingressum clam possidere: sed notabiliter adjicit vocabulum *videri* eum clam possidere, quod manifestam *clā Civ.* & fictionem denotat, cū aliud sit esse, aliud *videri. l. 1. §. interdicta. 3. ff. de interd. siv. extr. act. l. scriniarios. 16.* ubi Dn. Gothofr. *in not. margin. C. de testam. milit. l. 1. §. ult. ff. ad SCtum Turpill.* ut taceamus non rarò in jure nostro vocabulum *possidere* abusivè accipi pro detinere corporaliter tantùm absque veræ possessionis animo, cujus significationis præcipua loca diligenter recenset *Coll. Jur. Arg. lib. 41. t. 2. thes. 2. n. 1.* eamque hoc in loco accipienda

dam esse approbat *Zaf. dict. loc. n. 13.* ubi vult, quod ingressus improprie dicatur naturaliter possidere, & quod iste concursus non sit timendus. Quia itaque nulla possessio, rerum scil. immobilium, amittitur nisi in qua utrumque, corpus & animus, in contrarium actum sit. *l. Quemadmodum. 8. ff. de A. vel A. Poss. & l. Fere. 153. ff. de Reg. Jur.* fiet, ut clandestinus ille, & certo casu violentus ingressor non prius veram, proprieque dictam, quamvis injustam possessionem adipiscatur, quam prior ille possidere defierit, quod vel tum temporis contingit, si reversus non admittatur, vel cum ipse nolit in fundum reverti, eâ de causa, quod vim majorem ve-reatur. *l. Et si nolit. 7. & l. 3. §. si quis nuntiet. 8. & §. et si alij. 9. ff. de A. vel A. Poss.*

106. Quintum exemplum mutuatur *Frider. dict. loc. n. 20.* ex *l. Quamvis. 32. §. si conductor. 1. ff. de A. vel A. Poss.* & constituit hunc concurrentis Possessionis plurium casum: Si conductor rem vendit, & eam ab emptore conduxit, & utrique mercedes præstitit, etsi prior locator possessionem per conductorem rectissime retineat, juræque potior sit, attamen & emptorem sive posteriorem locatorem animum possidentis gerere, atque ita dari duos possessores civiles in solidum. Sed quo argumento probat *Friderus* in allato casu posteriorem locatorem, qui qualemcunque possidentis animum gerit, revera possidere rem emptam, & locatam? *Paulus* *Jctus* certè, qui in nostro textu plures eandem rem in solidum possidere posse disertè negat, priori quidem locatori, qui suo animo, & conductoris corpore possessionem retinet. *l. cum in plures. 60. §. heredem. 1. ff. locati. l. 3. §. Ceterum. 12. l. Generaliter. 9. l. si id quod. 25. §. 1. ff. de A. vel A. Possess.* rectissime possessionem ascribit, & nos cum illo: sed de posteriore locatore, utrum ille possideat, an non, nullam facit mentionem, & facile animadvertere possumus, cum inter reliquas qualitates rei possidendæ etiam requiratur, ut sit vacua, nec ab aliquo possessa. *Treutl. & ibidem in animadv. Bachov. volum. 2. disp. 21. thes. 2. lit. D.* conductorem, licet vendat rem conductam, & ab emptore de novo conducat, possessionem tamen, quæ penes priorem locatorem est, in posteriorem conferre nullo modo posse. Et cui, quæso, bono est, sine aperto aliquo textu, sine evidenti causâ, contra mentem *Pauli*, posteriori etiam locatori ascribere rei conductæ possessionem, ut modo concurrentis Possessionis casum aliquem extruamus, & dissentientibus objicere possimus?

107. Sextum exemplum affert Friderus *ibidem* n. 21. ex l. *Qui pignoris*. 36. & seq. ff. de A. vel A. Poss. junctâ l. *servi nomine*. 16. & l. *non solum*. 33. §. *qui pignori*. 4. ff. de usurp. & usucap. ubi vult, quod res, pignoris nomine possessione traditâ, non tantum à domino ratione proprietatis civiliter: sed etiam ab ipso creditore verisimè & naturaliter, & civiliter, ratione nimirum pignoris, possideatur, quam sententiam iisdem penè verbis proponit Bachov. in *animad. in Treutl. dict. vol. 2. disp. 21. thes. 2. lit. D.* ita scribens: Et sanè negari non potest quin penes duos diversi generis possit esse Possessio, veluti naturalis penes creditorem, civilis penes debitorem. Sed si rem rectâ ponderamus trutinâ nullus hîc possessionum concursus. Nam solus & unus creditor rem pignori sibi traditam verè, & propriè, naturaliter tamen possidet, quod multi quidem negant, è quorum numero sunt Gail. de pignorat. obs. 6. n. 9. Hug. Donell. lib. 5. Comment. cap. 6. & ejus enucleator Oliv. Hillig. ad dict. loc. & lib. 5. cap. 13. lit. D. longè plures verò affirmant, ut Accurs. ad l. 3. §. 8. ff. uti possidet. Cujac. lib. 18. obs. 24. & ad *African.* in l. si de eo fundo. 40. ff. de A. vel A. Poss. Menoch. rem. 3. rati. nen. Poss. quest. 25. & remed. 9. recup. possess. quest. 26. Bronchorst. centur. 3. ἐν ἀλλοτρίω, assert. 89. quæ sententia astruitur multis Juris textibus diligenter collectis, & explicatis à Bachov. in *animad. ad Treutl. vol. 2. disp. 21. thes. 4. lit. F. p. 312. & seqq.* & à Coll. Jur. Arg. lib. 41. t. 2. thes. 9. & 10. Debitor autem propriè loquendo rem pignori traditam non possidet: sed ex æquitate, & fictione quâdam Juris dicitur in legibus suprâ allegatis secundum quid, & ad usucapionis tantum causam possidere. Hinc Jcti, ut fictionem istam manifestius exprimerent, alibi debitorem *videri* possidere, in l. 1. §. *per servum*. 15. intelligi possidere, in l. *Qui pignoris*. 36. ff. de A. vel A. Poss. scribunt. Quomodo ergo dicemus creditorem & debitorem rei pignori traditæ possessores in solidum esse, cum unus tantum verè, & propriè; alter fictè, & secundum quid dicatur possidere?

108. Non felicior est Friderus *ibid.* num. 22. in constituendo, & probando exemplo *seprimo* ex l. si de eo fundo 40. in pr. ff. de A. vel A. Poss. quâ ex lege putat tres ejusdem rei possessores colligi posse, primò dominum, deinde creditorem, tertio ipsum servum, si videlicet & servitutis, & possessionis causam domino suo intervertere conetur. Nam ipsa textus verba clariora sunt, quàm ut subsidium aliquod afferre possint violentæ huic explicationi.

Africa-

Africanus enim legis in contrarium adductæ Auctor in casu proposito, quo creditoris servus dominum suum dejicit de fundo, quem debitor ei pignori dederat, unum tantum, nempe ipsum creditorem, possidere manifestò statuit fundum illum pignori acceptum, quem ipse debitor nullo modo possidet, cum pignoris traditione possessionem in creditorem transtulerit, secundum *l. cum & sortis. 35. §. pignus. 1. ff. de pignor. act.* multò minus autem servus ille dejiciens aliquam sibi possessionem acquirere potest, cum Jctus non tantum hoc in loco dicat, creditorem nihilominus per ipsum servum possessionem retinere: sed etiam alibi sanctum reperitur, quod servi, qui in potestate sunt, nec aliarum rerum, nec suam possessionem intervertere dominis possunt, ita ut licet rem surripiant, quam diu tamen apud ipsos sit, tam diu domini possessionem ejusdem rei non amittant. *l. Rem quæ nobis. 15. vers. sed si us ff. de A. vel A. Poss. l. 37. §. ult. ff. de usurp. & usucap.*

109. Pergit Friderus, & ibidem n. 23. octavum exemplum elicere conatur ex *l. in hac actione. 3. §. Pomponius. 12. ff. ad exhibend.* in qua cum dicatur, quod ejusdem hominis nomine rectè plures ad exhibendum agere possint, quod fortè homo Primi sit, Secundi in eo ususfructus, Tertius possessionem suam contendat, Quartus pignorum sibi eum affirmet, illicò concludit, quinque ejusdem servi possessores, diverso respectu, esse, & haberi posse, si modo is, contra quem agitur, sibi quoque possessionem defendat. Sed principium hæc in parte petere videtur Friderus, quasi omnes illi, qui agere ad exhibendum possunt, verè ac propriè dicti possessores esse deberent. Jcti certè in instituendâ actione illâ non requirunt ab actore, ut possessionem, vel dominium suum esse probet, *dict. l. 3. §. qui ad exhibendum. 1.* sed tantum ut doceat suâ interesse hominem sibi exhiberi, *dict. l. 3. §. sciendum. 9. & §. Pomponius. 12. l. 19. ff. eod. tit.* Et exigimus omninò probationem, quod in eo casu, quo aliquis servi possessionem suam esse in veritate contendat, (quod cum Cujac, *lib. 5. observ. 23.* propriè nulli competere statuimus, quam qui interdicto utrubi agit,) atque ita reverà possideat, præter eum & dominus, & ususfructuarius, & creditor, cui servus iste traditus non est, & reus, qui servum corporaliter detinet, restituendique facultatem habet, veram sibi simul asserere possint possessionem. Nam probatione eâ deficiente structura exempli hujus allati possessionis plurium insolidum unâ corruet.

110. Nonum exemplum statuit Friderus *dict. loc. n. 24. in l. fin. ff. uti possidet.* in qua Ulpiano eam ascribit sententiã, quod ejusdem fundi respectu & domino, & fructuario, & usuuario, tanquam veris possessoribus interdictum uti possidetis concedatur. Sed nos putamus adhibendam distinctionem inter possessionem ipsius fundi usufructuarii, aut usuarii, & inter quasi possessionem ipsius ususfructus, aut usus, ceu juris, & rei incorporalis, comprobante eandem Franc. Duaren. *in Comment. ad nosr. §. Ex contrario. §. pag. 641. b. in med.* Possessionem ipsius fundi propriè dictam ascribimus soli proprietario; non usufructuario, & multò minus usuuario, idque auctoritate apertissimorum Juris textuum, §. *de iis autem. 4. vers. fructuarius autem. Inst. Per quas person. cuiq. acquir. l. Certè. 6. §. is qui rogavit. 2. ff. de precar. l. 10. §. ult. ff. de Acq. rer. dom. l. 1. §. per eum. 8. l. Possessio. 49. pr. l. Permisceri. 52. pr. ff. de A. vel A. Poss. l. 1. §. unde questum. 8. ff. quod legator. l. Celsus. 5. §. Iulianus. 1. ff. ad exhib. frustra aliis contra sentientibus, quos acriter refutat Zaf. *cit. loc. n. 28. & seqq.* ubi dicit: Cùm textus habeamus quid attinet contrà niti, & velut cœlum oppugnare cum Gigantibus? Ubi enim est textus, ibi nulla est dubitatio, & per consequens nuncquam usufructuario, vel usuuario competet interdictum uti possidetis ad retinendam possessionem ipsius fundi, quam non habet. Quasi possessionem verò ipsius juris utendi fruendi quod attinet, jam *suprà thes. 20. & 24.* eandem concessimus usufructuario, & usuuario, & idè non negamus, quod interdictum uti possidetis, saltem utiliter, ad tuendam quasi possessionem servitutum illarum personalium iisdem competere possit, secundum *dict. l. final. ut & l. 3. §. Labeo. 6. & §. si vicinus. 9. ff. uti possid. & l. ult. ff. de servitut.* Addatur *Wesemb. in parat. ff. uti possid. n. 3. & Coll. Jur. Arg. lib. 43. tit. 17. thes. 6.* Ex quibus apparet hîc concurrere quidem plures possessiones: sed non ratione unius & ejusdem rei: verùm respectu rerum diversarum, fundi scil. ut rei corporalis, & jurium, ut rerum incorporalium.*

111. His ipsis principiis innixi evertimus decimum Frideri exemplum, quod ipse *eodem loco n. 25.* collocat in pluribus usufructuariis, vel usuariis, statuens illos eandem rem possidere posse, non quidem respectu ejusdem speciei, vel partis, vel usus, sed diversimodè, cùm singuli jus suum habeant, cujus respectu possideant. Nam, ut dictum, usufructuarii, & usuarii non possident rem illam corporalem, in qua jus constitutum, & acquisitum habent,

bent, & idè nullo modo in possessione cum alio, rem eandem verè possidente, concurrere possunt. Possunt quidem plures usufructuarij, aut usuarij unius fundi esse, & ita jus servitutis personalis plures quasi possidere, non quidem ipso actu: sed in habitu, & jure, aut certè ut singuli jus suum separatim quasi possideant, & in facto percipiendi fructus concurrant, concursuque partes faciât. Nisi enim invicem placeat, ut alternis annis fruantur, vel ut fructus communicent, vel aliter inter eos conveniat, concursu se ipsos impedirent. *l. Quotiens. 34. pr. l. si mihi. 49. ff. de usufr. & quemad. quis utat. Zas. dict. loc. ad §. nostr. n. 31.*

112. Subjicit Friderus *dict. loc. n. 25. in f. & seq. n. 26. in pr.* undecimum exemplum putativæ possessionis plurium in solidum, in Domino, Emphyteutâ, & sub Emphyteutâ, quasi proprietarius civilem domini possessionem retinendo, in Emphyteutam Civilem & Naturalem, non quidem domini; sed juris sui possessionem transferat, qui alium ejusdem rei Emphyteutam facere, & ita tertium Possessorem constituere potest. Quâ in sententia ex parte consentientem habet *Zas. loco sepè dict. n. 26. in pr.* Sed & in hoc exemplo distinguendæ quæstiones sunt, utrum de possessione rei in Emphyteusin concessæ, an verò de quasi possessione Juris Emphyteutici sermo sit, quam distinctionem ipse Friderus, contrariæ sententiæ acerrimus propugnator, non obscurè innuit. Sin priori quæstioni exemplum subjiciatur, nititur illud falsâ hypothese, quod scil. Emphyteuta rem in emphyteusin concessam possideat, quam quidem pluribus propugnat *Bachov. in animad. in Treutl. dict. vol. 2. disp. 21. thes. 4. lit. G. p. 318. & seq. & suo quoque calculo confirmat Frider. dict. tract. cap. 2. n. 4.* Juri tamen contrariam esse docet *l. Malè 2. C. de præscr. 30 vers. 40. annor. junctâ l. Tutor. 16. §. etiam vectigale. ult. & seq. l. 17. ff. de pignor. act. Coll. Jur. Argent. lib. 41. tit. 2. thes. 7. n. 8.* Possessio enim rei Emphyteuticæ penes dominum & concedentem remanet, ita ut Emphyteuta nudam & corporalem rei detentionem sine animo possidendi habeat, & licet alium subemphyteutam constituat, verum tamen rei possessorem eum nunquam efficere poterit. Sin verò ad posteriorem quæstionem exemplum aptetur, possumus ratione juris emphyteutici & ipsi Emphyteutæ, & subemphyteutæ quasi possessionem aliquam concedere, quo ipso tamen plures possessores ejusdem rei non efficiuntur, cum aliud sit ipsa res corporalis in Emphyteusin data, cujus propriè dicta possessio penes proprietaria-

prietarium remanet; aliud jus emphyteuticum separatum à dominio, & proprietate, cujus quasi possessionem ad Emphyteutam transire certum est.

113. Et hoc ipso, nostrâ quidem opinione, sufficienter responderi potest ad omnia reliqua exempla, quæ à Fridero *ibidem* n. 26. duodecimo loco cumulantur, dum unius rei in solidum possessores plures, diverso tamen respectu, constituit dominum, vassallum, & subvassallum; maritum, & uxorem in re dotali; plures in uno fundo servitutes eundi, vehendi, hauriendi, aut alia jura incorporalia habentes; plures rerum publicarum usum sibi in solidum ascribentes; plures res communes possidentes; plures missi à Prætorè in possessionem ex primo decreto, quod, teste Zas. *dict. loc. n. 33.* Germanico idiomate dicitur *anleiten / daß sie desto sicherer seyn ihrer Schulden / sicut secundum decretum appellatur so man iest die Güter bewahret / vnd den Einsatzbrieff geben hat / &c.* Animadvertere enim licet, quod in singulis exemplorum allatorum unus tantum reperiat, qui detentionem cum animo sibi habendi usurpet, adeoque solus possidere dicendus sit: Reliqui verò vel corporalem detentionem tantum sine possidendi animo habeant; aut certè non ipsius corporis: sed juris sibi in re corporali competentis, à proprietate separati, adeoque rei diversæ quasi possessores existant. Quod ipsum ratione illorum comprimis, qui ex primo decreto à Prætorè missi sunt in possessionem eruditè declarat Zas. *dict. loc. n. 33. & 34. ex l. si duo. 3. §. Creditores. 8. ff. uti possid. & l. si finita. 15. §. cum autem. 18. & seqq. ff. de damn. infect.*

114. Apparet ergò ex his eos non minus hallucinari, qui distinctas quidem species Possessionis repudiant; unius tamen ejusdemque rei possessionem, diverso respectu, penes plures consistere posse affirmant, cum in determinandâ quæstione, utrum hic, vel ille possideat, non ad accidentarias istas qualitates, respectus, & habitudines, sive intrinsecæ sint, sive extrinsecæ: sed ad *summam*, id est, ipsa substantialia Possessionis unicè respiciendum sit, quarum cum ea sit natura, ut uno tempore penes duos, pluresve simul in solidum esse non possint, ut *thesis 95. supra* abunde docuit, sequetur, ut quàm diu unus possessionem alicujus rei veram & propriam adeptus sit solus, & modis jure definitis retineat, neque modo aliquo specialiter à legibus expresso amittat, tam diu alius ad eandem accedere, simulque possidere non possit. Et tantum de tertiâ paragraphi parte.

QVAR.

35.
X. L.

QVARTA ET VLTIMA PARS
PARAGRAPII.

115. Sequitur tandem Quarta & postrema hujus §. pars à Paulo Jcto. his verbis proposita: Non magis enim eadem possessio apud duos esse potest, quàm ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris. Cujus proinde ^{exdeteris} superioribus subjicienda; sed termini breviores dirigendi sunt, cum præter ipem & opinionem nostram sub calamo theses ita excreverint, ut id nobis accidisse animadvertamus, quod fuit olim à Venusino Poëta dictum:
amphora cœpit

Institui: currente rotâ nunc urceus exit.

116. His verbis nonnulli putant novam afferri à Paulo rationem, cur duo, pluresve eandem rem in solidum non possideant, quia in quo loco ego sto, alius stare non possit, aut in quo loco ego sedeo, alius sedere non possit: sed probabilior est sententia existimantium, Paulum illud ipsum pronuntiatum, quod *in primâ* §. parte protulit, hoc in loco confirmare & roborare egregiâ hâc similitudine, hoc sensu: Sicut absurdum est dicere, & ipsa corporum natura non permittit, alium stare eo in loco, in quo ego sto, vel alium sedere eo in loco, in quo ego sedeo; ita etiam absurdum est affirmare, & ipsa corporum natura non permittit, ut illius rei possessio, quæ penes me reverâ existit, alii etiam in solidum competat. Usus autem est hâc similitudine Paulus, ut facilius, quod subobscurum erat, explicaret. Quia enim rationem *in pr. §.* allatam, cur plures eandem rem in solidum possidere non possint, (quod scil. naturalis ratio non patitur, ut, cum ego teneam rem aliquam totam, & in solidum, sive corporaliter, sive Juris aliquâ interpretatione, alter eandem rem æquè in solidum tenere intelligi possit, si enim alius simul tenere eam rem intelligeretur, non ego rem totam tenerem,) nonnulli pro obscurâ, & difficiliori habere potuissent, placuit Jcto totam eam rem explicare, illustrare, & hoc modo faciliorem reddere beneficio hujus similitudinis. Confer Franc. Duaren. *in Comment. ad tit. de A. vel A. Poss. §. nostr. §. pag. 641. b.m.*

G

117. At-

117. Atque hanc ob causam cum similitudo ad rationem, cuius illustrandæ gratiâ affertur, se accommodare debeat, verba eadem Possessio dicimus posita μελοποικῶς, pro ejusdem rei Possessione, quomodo illa verba accipit Acutissimus Bachov. in *annod. ad Treutl. dict.* vol. 2. *disp.* 21. *thes.* 4. *lit.* k. pag. 321. qui aliàs apud plures Possessionem diversi generis esse posse concedit. ut *suprà thes.* 25. & 107. monuimus, ubi verborum Pauli hunc asserit esse sensum: Non magis, ait, fieri posse, ut duo in solidum rem eandem possideant, quàm ut duo stent, vel sedeant in eodem loco, scil. proprio. Etenim sive à corpore, sive ab animo Possessionem æstimamus, neque duo rem eandem in solidum corpore tenere possunt, & cum animus unius totum complectatur, alterius possessioni locus non datur. Quod contra eos probè notandum est, qui rationem & similitudinem Paulinam *hujus* §. in unius quidem generis possessione, quæ ratione ejusdem loci, qualitatis, & respectus consideratur, militare volunt: eandem verò in Possessione diverso respectu consideratâ respuunt, & rejiciunt.

118. Desumpta est autem similitudo à *Stando*, & *Sedendo*, quæ verba hîc in vulgari, nativâ, & propriâ significatione etiam apud Philosophos usitatâ accipiuntur. Ubi obiter hanc in specie ad Jctorum scholam pertinentem notam adjicimus, Jure Justiniano usitatum fuisse, ut Advocati quidem, Procuratores, & litigantes starent; Magistratus autem pro tribunali, & Judices sederent. *Fac. l. Quisquis. 6 §. ult.* ibi: cum ipse necessitatem elegerit standi, & contemserit jus sedendi. *C. de Postulan.* & consentit *l. ult. in fin. pr. C. ubi Senator. vel Clariss.* quo in loco Illustribus & Clarissimis hoc indulgetur privilegium, ut in criminalibus causis habeant jus sedendi in aliquâ secretarii, id est, auditorii parte, quæ Judicibus inferior, altercantibus verò superior esse videatur. Et de Judicibus testatur *Cic. in Orat. pro Rabir. Posth.* ibi: modò vos iidem in A. Gabinium Judices sedistis. Hinc κατ' ἐξοχὴν Prætor sedere dicitur, cum pro tribunali Juris reddendi causa sedet in *l. 2. §. Confestim. 43. ff. ad Scrum Tertullian.* junctâ *l. Divus Antoninus. 7. pr. ff. de in integr. restit.* (quanquam in *dict. §. 43.* Norica lectio pro voce *sedentis*, habeat *sedantis*.) & dies sessionum appellantur, quibus Prætor jus dicit, sui que copiam facit, in *l. Utile. 2. §. dies.*

§. dies. 2. ff. quis ord. in po. §. servet. ex qua l. Gothofred. cum Franc. Duar. lib. 2. disp. anniv. 16. Anton. Govean. & Cujac. lib. 2. obs. 18. restituendum putat §. sex autem mensium. 19. l. is cui legatorum. §. ff. ut in possess. legat. ut pro verbo *Possessionum*, quod Pandectæ Florentini habent, legatur *Sessionum*.

119. Stare autem, & Sedere requirunt aliquod *Vbi*, quod Paulus noster *Locum* vocat, quem Varro lib. 4. de ling. Latin. dicit esse, ubi quid collocatum esse potest, ubi quisquam consistit. Subtilius verò à Jul. Cæs. Scalig. in exercit. §. sect. 3. & exercit. 352. sect. 2. ad Hieron. Cardan. definitur, quod sit non illa exterioris corporis ambiens superficies: sed id quod intra eam superficiem continetur; & ubi continuatum. Cum quo coincidit Dialecticorum descriptio, quod locus non solum id sit, in quo consistimus: verum totus ambitus, quod ante & post est, & quod ad dextrum & sinistrum, supra & infra est; neque tantum ambitus: sed totum interius, quo continemur, spatium, sursum, deorsum, locique medium. Videat. Göddæ. ad l. locus. 60. n. 2. ff. de Verb. signif.

120. Silentio autem nullo modo prætereundum, quod itidem Paulus in ultimâ hâc §. parte non simpliciter asserat, alium in eo loco, in quo ego sto, stare; aut in eo loco, quo ego sedeo, sedere non posse: sed quod notabiliter, & ut nostrates loqui amant, signanter utatur vocabulo *Videaris*, illudque bis repetat, ita ut non modò rei veritatem: sed ipsam quoque fictionem excludat, & ita apertè confirmet sententiam illorum, qui statuunt, Sabinianorum opinionem, plures eandem rem in solidum possidere posse existimantium, non solum refragari ipsi veritati, quod scilicet per naturam, & rerum corporalium conditionem, qualitatemque id evenire nullo modo possit: sed etiam contrariam esse ipsi fictioni, quâ ea nunquam introduci possunt, quæ cum insitis corporum naturalium qualitibus è diametro pugnant, & in veritate nullo modo existere possunt, ut fusiùs *supra thes. 48. & seq.* à nobis explicatum.

121. Assistent autem hâc in parte Paulo nostro partim aliorum Jurisperitorum, partim etiam Philosophorum consentientia testimonia. Ex Juristorum scholâ producimus Celsum Filium, qui, teste Ulpiano in l. si ut certo. §. §. si duobus. ult. ff. Commod. lib. 6.

Digestor. scripsit: in vehiculo commodato, vel locato duobus, (cujus Possessionem propriè dictam commodans, vel locans retinet, *l. Rei commod. 8. ff. eod. tit. l. clam. 6. §. is qui rogavit. 1. ff. de precar. l. Male. 2. C. de Prescr. 30. vel 40. annor. & duo in solidum, quemadmodum dominium, habere non possunt, ibid*) unumquemq; commodatarium, vel conductorem pro parte effectû usum habere, quia unus non omnia loca vehiculi teneat. Ubi manifestò inuit, in eo loco vehiculi, quem unus ex commodatariis, vel conductoribus prior occupavit, & in quo ipso actu sedet, alterum eodem tempore sedere non posse; sed si alter omninò eo vehiculo simul uti velit, necessarium esse, ut alium vehiculi locum, à priore non occupatum, & proinde vacuum petat, & corpore suo repleat.

122. Et hæc quidem extra omnem dubij aleam ita posita sunt, ut illi etiam Dd. qui contrariæ subscribunt opinioni, duosque, & plures eandem rem in solidum possidere posse statuunt, sententiam suam limitent, & tantum de possessione ejusdem rei diverso respectu consideratâ eam intelligendam esse censeant. Si enim pluribus rei corporalis Possessio ratione ejusdem partis, & loci in solidum attribuat, ipsi concedunt, id non modò Proculjanorum; sed ipsorum etiam Sabinianorum, immò omnium tam Philosophorum, quàm Juristarum sententiâ absurdissimum esse, in tantum, ut eum insanum, mentisque impotem judicent, qui isthâc ratione possessionem ejusdem rei apud duos, non dicamus plures, in solidum esse posse dixerit, ut videre est apud P. Frid. Mind. *sepè laudato tract. de mater. poss. cap. 10. n. 12. & 13.* Quibus verbis quid, quæso, aliud agunt, quàm ut certitudinem & firmitatem hujus à Paulo allatæ similitudinis astruant, & pro eâ album calculum ponant?

123. Philosophorum autem testimonia brevioribus, concinnioribusque verbis, ipso Dn. Gothofredo, proferre non possumus, qui ad ultimam §. *nostri* partem hanc adjecit notam marginalem. Ut unum corpus in duobus locis: ita duo corpora in uno loco esse non possunt. Corpora se occupare, & simul esse natura non permittit. Dimensiones nequeunt se invicem subire. Sic dimensio suum locum occupat,
ut ob-

37.
ut obstaculo sit; ne quævis alia dimensio, & quodvis aliud corpus, pariter unaque cum eâ eundem locum occupare, & replere possit. Penetratio dimensionum naturâ est impossibilis. Nam si duarum esse potest substantiarum penetratio, & trium, & quatuor, & infinitarum esse poterit. Par enim in iis omnibus casibus militat ratio. Quod si ita esset, nulla rerum corporearum inter se esset discriminatio: sed ipsarum inter se invicem confusa commixtio, quam evitandam natura cujusque rei, suo motu, ab alterâ discernit. Hæc Philisophi verissimè docent.

124. Manet igitur constans hæc Juris sententia: Duos pluresve unam eandemque rem corporalem simul in solidum possidere, verâ ac propriè dictâ possessione, non posse, nullâ adhibendâ distinctione, utrum quærat de uno & eodem genere Possessionis, Civilis, Naturalis, Justæ, Injustæ, Bonæ fidei, Malæ fidei: sive de diversis Possessionibus sermo sit, ut unus Civiliter, alter Naturaliter; unus Justè, alter injustè; unus Bonâ fide, alter malâ fide possidere dicatur; quas non quidem specie differentes, accidentariis tamen qualitatibus inter se distinctas esse statuendum sit.

Questionum controversarum ex hoc textu nascentium resolutionem, & Axiomatum in eo latentium Syllogen, Deo valetudinem virisque concedente, alio tempore peculiari disputatione elaboratas publicæ omnium censura pari modo subjiciemus.

Eruditissimo LL. Prolyta,

Dn. RESPONDENTI

D*um luit & flammis fumat Saxonica Troja,
dum tota in cineres patria terraruit;
Dum nulli fundus suus, & possessio constat,
sed quod quis raptò possidet, illud habet:
Tu, LINDNERE, spei tamen erigis inclyta signa:
ac si salva forent omnia, AGE EVGE vocas.
Præclare ô factum! plures DEVS excitet in spem
Phœnices patria ex ignifluente rogo?
Vnum ænigma fero, si rectè solveris illud
alter Apollo mihi ac Oedipus alter eris:
Dic quibus in terris sit adhuc possessio rerum?
Quis, quod habet, possit dicere id esse suum?*

Convictori suo suavissimo accinebat

Joh. Conrad. Dannhavver, SS. Theol. D.
Profess. & Eccles.

S*i, ceu jura ferunt, quod quisquis possidet, illud
Possidet in solidum, nec simul alter habet:
Solus eris, LINDNERE, tui Possessor honoris,
Quem Tibi virtutum cultus, amorque dedit.
Hoc ego nec magnum puo, nec mirabile: namque
Quod mea ferre manus, non tua ferre potest.
Hoc autem summâ dignum in te laude fatemur,
Quod non indignus præmia dicta feras.
Quod magno teneas merito, quæcunque videris
Te meruisse tuo Marte, tenere tuo.*

*Hoc veri amoris signum, & industriæ, paratæque
eruditionis testimonium dedit*

Præses.

Dixissem, Possessor eris LINDNERE, negarent,
 De veneror referens, ni tua Iura mihi.
 Corporei cum sola boni Possessio verè,
 Te Possessorem, non voco corporeum.
 Nec, licet ac animo maneat possessio solo,
 Te Possessorem judico nunc animi.
 Nec quasi Possessor rerum, LINDNERE, vocandus,
 Vsum corporeæ possidet ille rei.
 Est animi, nec solo animo, tibi competit illud,
 Est clarum, astit mentis quod tibi jura ferunt.
 Est mens magna, tuæ mentis præclara gerendi
 Copia, Possessor tunc quoque corporeus.
 Dicam, multa tenes, precor hoc, majora tenebis,
 Tunc animi Dominus, tunc quoque corporeus.

Honoris & amoris ergo ουχ εὐχόμενος scripsit

Joannes Georgius Heuchelint.

Si rude Judicium vulgi, mentemque scelestam
 Exposcis, monitis te reget hisce suis.
 Innumeras noli leges, & flexile verum,
 Jura sequi rigidi litigiosa fori.
 Rixarum genitrix Jurisprudencia tantum;
 Nil nisi quàm lites, jurgia avara ferit.
 Vah quantæ laudis! vel quæ manet illa facultas?
 Cujus & auritus Doctor asellus erit.
 Cujus pœniteat quem, qui gustaverit unquam
 Jura; etenim vomitu sunt revocanda novo.
 Causidicus vafer est, lites procrastinat omnes,
 Et cupidus rixas protrahit ille tuas.
 Aureus interpres Juris, venalia Jura
 Auro; funesto Jura sub ære jacent.
 Huic uni solitus studio se dedere, & arti,
 Fallere, venari posse clientis opes.

Hec

Heu quibus errorum tenebris agitamini agrestes?
Heu qui vestra furor pectora cæcus habet?
Vindex illa fori, legum, Jurisque, togæque
Eunomie, pretio nobiliore manet.
Hæc homines primò sylvestribus extulit antris,
Hæc hominum feritas celsit ab orbe fero.
Celsit & improbitas, armisque potentius æquum est,
Hæc Mundi reatrix, hæc hominumque salus.
Eunomiæ Patres, oculi virtutis & æqui,
Cor quibus est cultu juris utroque catum.
Hi defensores Juris, Themidisque columnæ,
Hi generi humano commoda plura ferunt.
Horum oracula domus Juris, sunt Orbis Atlantes,
Queis lapsis quicquid possidet orbis abit.
Ergò per egregias legum diffunderis artes
LINDENER, Eunomiæ regia tecta petis.
Nil te Judicium vulgi suspendit, & obstat,
Latus at Eunomiæ per juga celsa meas.
Namque tibi eximios Jus nunc despondet honores,
Qualia jam meriti ferre brabæa solent.

Hunc Amoris obsidem reliquit

Johannes Henricus Schill.

F I N I S.




X 2615926

VD.17







MENTATIONIS
famosissimum, vexatissimum-
i. 3. §. Ex contrario. s. ff. de acquir. vel
amittend. possess.

11.
38

16372.

S PRIOR,
MO MAXIMO AUSPICE,
BERRIMA REIPU-
ENTORATENSIS VNIVER-
i, & Solennis exercitiy gratia
proposita,

à
BICCIO, BUDISSINO,
D. & Professore Publ.
Respondente
NE Lindener / Freibergensi
Misnico,

Octobr. horis à 7. pomeridianis,
in Auditorio Novo.



ENTORATI,
RHARDI WELPERI,
M. DC. XXXVII.

